

nam fundamentum malitiæ privativæ, vt fundamentum est, est aliqua formalitas positiva; sed Deus nequit causare fundamentum malitiæ, vt fundamentum est: ergo datur aliqua formalitas positiva, quæ secundum suum expressum non causetur à Deo. Maior constat: nam privatio debet fundari in aliquo positivo, ne detur processus in infinitum. Minor verò probatur: si Deus causaret fundamentum, vt fundamentum est, etiam causaret ipsam malitiam privativam: nam qui causat fundamentum in quantum tale, nequit non causare ipsam rem fundatam; nec est alius modus cauendi id, quod ad fundamentum sequitur, quam cauendo fundamentum vt tale, vt liquet in efficientia relationis: ergo si Deus causaret fundamentum formaliter vt tale, etiam causaret ipsam malitiam.

Probatur secundò primum illud antecedens: habitus vitij constituitur formaliter in ratione talis per aliquid positivum, vt supra §. præced. demonstratum est; & tamen vitium formaliter vt tale non causetur à Deo: ergo idem quòd prius. Minor probatur: si Deus causaret vitium formaliter vt tale, etiam causaret ipsam malitiam actus: quia vitium vt *vitium* est causa illius; & quod est causa causæ, est causa causati in eodem genere causæ: ergo vitium vt *vitium* non est à Deo.

Probatur tertio: nam error vel actualis, vel habitualis in ratione talis constituitur per aliquid positivum; sed error, licet producat à Deo secundum rationem *entis*, non producit ab ipso secundum conceptum explicitum *erroris*: ergo. Maior videtur certa, si certum est, quòd habitus vitij constituitur in ratione talis per aliquid positivum. Et minor patet: aliàs posset à Deo infundi.

58 Probatur quarto, & vrgentiùs: Odium Dei secundum suam vltimam & essentialiam differentiam exprimit aliquid positivum; sed secundum expressum prædictæ differentie non causetur à Deo: ergo datur aliqua formalitas positiva incausabilis à Deo. Maior videtur innegabilis: nam actus humanus in ratione talis immediatè contrahitur per talem differentiam, per quam distinguitur, & opponitur contrariè physice amoris Dei. Minor verò probatur: tum quia Deus prohibet odium Dei secundum talem differentiam; Deus autem nequit causare id, quòd secundum suum expressum ab ipso prohibetur: ergo odium Dei secundum expressum suæ differentie essentialis, & vltimè non causetur à Deo. *Tum etiam*: Nam id, quod pro expresso nequit ad Deum ordinari nec tanquam ad obiectum, nec tanquam ad finem, nequit ab ipso Deo causari; sed odium Dei secundum expressum suæ vltimæ, & essentialis differentie nequit ad Deum tanquam ad obiectum, aut tanquam ad finem ordinari; cum secundum suam vltimam differentiam physicam sit recessus à Deo: ergo.

Urgetur hoc: Dato, quòd odium Dei solum esset recessus à Deo tanquam ab obiecto, & non tanquam à fine, non potest negari, quòd est positivus, & physicus recessus à Deo tanquam à fine in eo, qui voluntariè odit Deum: quia sicut amor Dei voluntariè est tendentia ad ipsum tanquam ad obiectum, & finem, ita odium Dei voluntarium debet esse recessus à Deo tanquam ab obiecto, & tanquam à fine; sed Deus nequit causare recessum positivum ab ipso saltè tanquam à fine: quia quicquid Deus operatur, operatur propter semetipsum tanquam propter vitium finem: ergo in odio Dei aliquid positivum datur incausabile ab ipso. Patet consequentia: nam recessus physicus à Deo tanquam à fine pro priori ad malitiam privativam aliquid positivum est.

Quæ omnia, si rectè concludant, possunt confirmari exemplo potentie peccandi: quæ pro expresso aliquid positivum debet esse, vel prout principium efficiens malitiæ positivæ, vel prout est principium fundamenti, vel prout est principium physicum odij Dei modo proximè explicato; & tamen pro expresso principij, seu potentie harum formalitatum nequit à Deo causari; aliàs ipsæ formalitates in actibus causarentur ab ipso: ergo aliqua formalitas positiva datur, quæ non causetur à Deo.

59 Hinc argumento, missis alijs solutionibus, respondent communiter Recentiores negando antecedens. Et ad primam probationem negant suppositum. Existimant enim, privationem non exigere fundamentum, si per *ly fundamentum* intelligatur ratio positiva, ex qua à priori resultat, & dimanet, ad eum modum quòd dimanat relatio ex sui fundamento. Et ratio est quia privatio, cum purum nihil sit, non petit causam positivam. ¶ Secunda probationi, quæ consistit in exemplo habitus vitiosij, respondent iuxta solutionem datam num. 50. Quæ satis præclara manet ex dictis num. 53. ¶ Tertie probationi dicunt, errorem vt talem consistere in privatione conformitatis cum obiecto. ¶ Ultima probationi nescio quid respondeant, quia nullum vidimus, eam sibi objicere. Sed in gratiam illorum potest dici, quòd nullum est inconueniens in eo, quòd Deus concurrat ad odium Dei, prout est avertio physica ab ipso tanquam ab obiecto, & tanquam à fine, dummodò non concurrat ad illud, prout est avertio moralis ab eo.

Sed hæc evasio ex omni capite rejicitur. Et primò resellitur responsio data primæ probationi, & exemplo: Nam malitia privativa tam ex communi conceptu privationis, quam ex conceptu privationis malæ moraliter petit propriè fundamentum, ex quo à priori, & per verum influxum resultat, & dimanet: ergo malitia privativa reperta in peccato verè & propriè habet fundamentum. Antecedens quoad primam partem probatur: nam privatio frigiditatis in aqua

aqua calida habet propriè fundamentum, ex quo à priori, & per verum influxum resultat, & dimanet, scilicet calorem: ignis enim eo ipso, quòd causet in aqua calorem, verè inluit in privationem, sicut in expulsiōnem frigiditatis ex vi influxus producentis persè calorem: idem liquet in generante formam vermis, quòd ex vi eiusdem influxus illam producentis verè inluit in expulsiōnem formæ præexistentis, & in privationem illius: ergo privatio ex conceptu communi privationis petit propriè fundamentum, ex quo à priori, & per verum influxum dimanet.

Et confirmatur: Qui ponit impedimentum ad aliquam formam debitam, nequit non ex vi eiusdem influxus causare per resultantiam privationem formæ; sed experientia constat, plures causas per suum influxum physicum ponere aliquod impedimentum ad hoc, vt subiectum non acquirat formam sibi debitam, vt qui impedit descendum lapidis: ergo privatio potest causari per verum influxum. Maior probatur: nam ex appositione impedimenti verè resultat privatio formæ: ergo qui apponit impedimentum, ex vi eiusdem influxus producit privationem; sed nihil aliud est aliquid esse propriè fundamentum, & non metum substratum privationis, quam resultat ex eo ex vi eiusdem influxus: ergo privatio verè & propriè habet fundamentum.

60 Deinde probatur idem antecedens, hoc est, quòd malitia privativa ex conceptu privationis malæ habet propriè fundamentum: tum ex D. Thom. in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæstionc. 1. ad 2. vbi ait: *Fundamentum aversionis est conversio in peccato*. Et quæst. 2. de Mal. art. 7. ad 1. *Inordinata conversio ad commutabile bonum est causa aversionis*; sed nihil aliud requiritur ad rationem propriam fundamenti nisi influxus verus in rem fundatam: ergo aliquid positivum est verè fundamentum privationis malæ. *Tum etiam*: Nam D. Thom. infra quæst. 75. art. 1. inquit, *Utrum peccatum habeat causam?* Et in corpore articuli respondet, quòd peccatum ex parte inordinationis habet causam, eo modo quo negatio, vel privatio potest habere causam. Et postea asserit, quòd negationis duplex potest assignari causa: prima est negatio causæ formæ, quia deficiente causa, deficit effectus: sicut absentia Solis est causa obscuritatis. Secunda causa negationis est causa formæ, ad quam sequitur negatio, seu est causa formæ excludentis aliam formam: quia causa formæ excludentis aliam formam est indirectè, & per accidens causa negationis. Et ponit exemplum in igne, qui cauendo ex principali intentione calorem, verè causet ex consequenti & per accidens privationem frigiditatis. Primus modus causæ docet Angelic. Doctor, quòd sufficit ad simplicem negationem, quod

est idem, ac non esse verè causam, sed ad privationem necessariò desideratur secundus. *Sed cum inordinatio peccati* (prosequitur D. Thom.) *& quodlibet malum non sit simplex negatio, sed privatio eius, quod aliquid natum est, & debet haberi, necesse est, quòd talis inordinatio habeat causam agentem per accidens*. Et pauca interpositis: *Omnis autem causa per accidens reducitur ad causam persè*. Cum igitur peccatum ex parte inordinationis habeat causam agentem per accidens, ex parte autem actus habeat causam agentem persè, sequitur, quòd inordinatio peccati causetur ex ipsa causa actus. Huculiquè, & satis perspicue Magist. Angelic.

Quibus in verbis docet, quòd peccatum ex parte inordinationis habet causam, eo modo quo potest eam privatio habere; sed privatio potest habere veram causam etsi per accidens, & fundamentum positivum, vt de privatione frigiditatis in aqua proximè probavimus: ergo etiam privatio moralis. Docet etiam (vt alia omittamus, etsi ponderatione digna) quòd privatio non potest habere causam per accidens, quæ sit talis per negationem causæ, quod est verè non habere causam, aliàs coincideret cum pura negatione, sed quæ verè sit talis per influxum positivum persè terminatum ad positivum, & ex consequenti & præter intentionem, id est per accidens (etsi verè & propriè) ad ipsam privationem: ergo privatio rectitudinis iuxta D. Thomam consequitur per influxum positivum ex aliquo positivo: quod positivum, ex quo resultat, propter eandem rationem debet habere propriam rationem fundamenti: sicut essentia est verum fundamentum suarum proprietatum, albedo relationis, & calor privationis frigiditatis.

Tum deniquè: nam infra quæst. 79. art. 1. vbi inquit, *Utrum Deus sit causa peccati?* ad 3. sic ait: *Dicendum, quòd effectus causa mediæ, procedens ab ea secundum quòd subditur ordini causæ primæ, reducitur etiam in causam primam: sed si procedat à causa mediæ, secundum quòd exit ordinem causæ primæ, non reducitur in causam primam: sicut si minister faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum sicut in causam. Et similiter peccatum, quod liberum arbitrium committit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum*. Ex quibus verbis sic arguo: Exire positivè ab ordine causæ primæ nequit non verè & positivè influere in privativam deordinationem, ac proinde nequit non esse propriè fundamentum illius; sed iuxta D. Thomam per peccatum commissionis peccans exit positivè ab ordine causæ primæ: quia in rigore loquendo *exire* significat non puram omissionem, sed positivum: & quia comparat seruo facienti contrariè contra mandatum Domini: & tandem

quia si nihil est positivum, quod non subdatur ordini causæ primæ, non est unde ponatur privatio rectitudinis: ergo.

61 Et confirmatur: Malitia privativa peccati commissionis resultat sequela physica, & non tantum logica ex actu ipsius peccatoris: ergo hic est verum fundamentum illius, & non merum subiectum. Antecedens probatur: tum quia est voluntaria peccati; sed omne voluntarium dicit egressum physicum saltem indirectum ab eius voluntate: ergo resultat sequela physica ex actu peccati. Tum etiam: quia si non resultaret nisi sequela logica, nullatenus diceretur causa illius malitiæ, nec esset illi voluntaria: propterea enim peccatum sequutum ex permissione non est effectus Dei, nec illi tribuitur, quia tantum resultat sequela logica: ergo malitia privativa resultat sequela physica ex actu peccati. Nunc sic, reflectendo super hanc probationem, & doctrinam proximè datam: per vos peccator per nihil positivum exit ab ordine causæ primæ; sed per vos malitia privativa proprie non exit à voluntate ipsius peccatoris: ergo proprie loquendo non peccat. Patet consequentia: nam peccare in proprietate sermonis significat influere proprie in peccatum.

Confirmatur ulterius: Adhuc permixta sententia probabili, quod potest dari omisio pura peccaminosa sine aliquo actu, iuxta quam potest defendi, quod talis omisio non egreditur verè à voluntate, non potest negari, quod dum adest actus, qui est causa omittendi, ipsa omisio est proprie effectus sequutus sequela physica ad ipsum actum: ergo iam privatio potest produci per aliquid positivum, & in eo proprie fundari. Antecedens probatur: tum quia alias non posset dici, quod actus est causa ipsius omisionis, nisi ex eo proprie non resultet. Tum etiam: Nam qui vult actum impossibilem cum actu præcepto cum prævisione illius, nequit non velle omisionem actus præcepti saltem virtualiter: ergo qui influit verè in actum impossibilem cum actu præcepto, etiam debet influere verè, saltem virtualiter, in ipsam omisionem: Patet consequentia: quia eadem repugnantia apud Adversarios, & in rei veritate datur in eo, quod omisio sit obiectum voluntatis, ac in eo, quod sit exercitium illius: unde si primum non potest negari, nec secundum. Hoc insit in actu, qui directè tendit ad omisionem. Pro quo videndus omnino est D. Thom. art. 5. huius quæst.

Urgetur hoc: In communi sententia Thomistarum omisio actus debiti est peccaminosa formaliter in se, & non solum in causa, est non sit libera in se formaliter, ut dum quis tradit se somno cum prævisione non audiendi Sacrum in ipso tempore somni, quo insit præceptum de eius audicione; hoc non potest verificari, nisi verè influat illa causa in ipsam omis-

sionem, ut ex se liquet: ergo voluntas verè influat in malitiam privativam.

62 Retellitur etiam solutio data secundæ, & tertiæ probationi ex dictis num. 53. Nam habitus vitij constituitur essentialiter per aliquid positivum: ergo etiam habitus erroris. Consequentia probatur: tum à paritate. Tum à ratione: ideò enim habitus vitij constituitur essentialiter per aliquid positivum, quia dicit essentialem tendentiam ad obiectum ut dissonam legi; sed etiam habitus erroris dicit essentialem tendentiam ad sententiam falsam ut falsam, cum prima eius deformitas defumatur per ordinem ad suum obiectum, quod est sententia falsa: ergo tam habitus vitij, quam habitus erroris importat deformitatem positivam.

Confirmatur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 5. ad 1. vbi pariter hanc illustrat his verbis: *Dicendum, quod formalis ratio peccati potest accipi dupliciter. Uno modo secundum intentionem peccantis; & secundum hoc id, ad quod convertitur peccans, est formale obiectum peccati: & ex hoc diversificantur eius species. Et paucis interiectis, que conducunt ad explicandam malitiam privativam, & eius obiectum, sic concludit: Sic ergo dicendum est, quod infidelitatis obiectum est veritas prima, sicut à qua recedit: sed formale eius obiectum, sicut ad quod convertitur, est sententia falsa, quam sequitur: & ex hac parte eius species diversificantur. Ergo iuxta D. Thom. ratio formalis vitij, & ratio formalis erroris sumunt suam unitatem, & distinctionem per ordinem ad obiectum pravum, & erroneum formaliter ut talia.*

Rem hanc illustro: Quia non potest negari in obiecto vitij, & erroris aliqua deformitas obiectiva dissona rationi per modum obiecti; sed chimerica esset, nisi tenderent in illam formaliter ut talem: ergo primaria deformitas in vitio, & errore live actuali, sive habituali non consistit in carentia conformitatis, sed in tendentia positiva ad deformitatem obiectivam. Minor probatur: nam deformitas obiectiva non consistit in bono à quo receditur, ut ex se liquet: ergo consistere debet in obiectis, ad que tenditur; sed hæc esset prorsus chimerica, nisi tenderent in illam formaliter ut talem: ergo Minor subsumpta probatur: nam chimerica est malitia obiectiva, per quam obiectum non constituitur in ratione obiecti, seu termini alicuius actus: quia malitia obiectiva ut talis non est malitia in essendo, sed in terminando; nec obiectum dicitur tale in ordine ad se, sed in ordine ad actum, seu habitum per modum termini, & mensuræ extrinsecæ illius; sed huiusmodi esset malitia obiectiva, nisi ad eam formaliter, ut falsam vitium, & error positivè tenderent, ut ex se liquet: ergo malitia obiectiva, prout aditur ab Adversariis, esset chimerica.

63 Tandem retellitur solutio abhibita vlti-

mæ probationi, & exemplo. Nam implicat, Deum concurrere perse in omnium sententia ad id, quod ipse odit; sed Deus necessariò odit odium sui, prout est aversio ab ipso tanquam ab obiecto, & tanquam à fine non solum moralis, sed etiam physica: ergo nequit concurrere perse ad odium sui, prout est aversio physica ab ipso tanquam ab obiecto, & tanquam à fine. Maior constat ex illo Sapient. 11. *Nihil odisti eorum, que fecisti.* Minor verò probatur: quia nequit non Deus odio habere id, quod verè cognoscit esse oppositum suæ bonitati; sed odium Dei est oppositum bonitati divinæ adhuc secundum suam vltimam differentiam physicam, iuxta dicta tom. 1. pag. 520. num. 122. & 123. & hoc verè cognoscit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ: ergo.

Adde primò: Nam id, quod necessariò Deus prohibet in se (quidquid sit, quod Deus necessariò non nobis manifestet) nequit ab eo causari; sed huiusmodi est odium Dei, & omnia ea, que prohibentur quia mala: ergo odium Dei, prout est aversio physica, nequit ab eo causari. Minor probatur: nam lex æterna, ut potest dictamen rectissimum rationis, est in Deo omninò necessaria, & omninò determinata ad prohibendum ea, que repugnant divinis attributis; sed huiusmodi est odium Dei repugnans eius bonitati: ergo. Adde secundò: Nam saltem Deus non potest producere id, quod non potest amare; sed Deus nequit amare odium sui secundum suam vltimam, & essentialem differentiam physicam: ergo.

§. VI.

Opposita sententia cum primo eius fundamentis.

64 **T**Ota sententia contraria potest reduci ad triplex fundamentum. Primum defumitur ex constitutione peccati in esse mali simpliciter per solam privationem: ex quo principio à nobis innegabili pertentant suadere, etiam in ratione mali moralis consilium per solam privationem. Secundum defumitur ex ipsa quidditate peccati, quod quia pro formali est defectus, petit oriri à voluntate sub conceptu præcisio deficientis. Tertium defumitur ab inconvenienti: quia aliter non vitatur, quod Deus non concurret ad malitiam peccati. Que fundamenta, quia in D. Thoma existimant fundari, cum illius auctoritatibus immiscet: quam methodum nos imitabimur in proponendo argumenta. Primum ergo fundamentum, quantum fas est, in hoc §. ponderabimus, & alia duo in §. sequentibus, ut cum aliqua distinctione procedamus.

Arguitur ergo primo: Nam idem est constitutum peccati in ratione mali simpliciter, ac

in esse mali moralis; sed peccatum in ratione mali simpliciter apud omnes constituitur per privationem: ergo peccatum commissionis in ratione mali moralis etiam constituitur per privationem. Maior, in qua tantum est difficultas, multipliciter probatur. Primò ex D. Thom. supra quæst. 18. art. 1. vbi postquam docuit, malum, & bonum deberi imaginari in actionibus, ad modum quo bonum, & malum est in rebus; & quòd dicuntur *bona*, si habeant plenitudinem essendi sibi debitam; *male* verò, si eis aliquid desit de plenitudine essendi, sic corpus articuli concludit: *Sic igitur dicendum est, quòd omnis actio, in quantum habet aliquid de esse, instantum habet de bonitate: in quantum verò desicit ei aliquid de plenitudine essendi, que debetur actioni humane, instantum desicit à bonitate, & sic dicitur mala, puta si desiciat ei vel determinata quantitas secundum rationem, vel debitus locus, vel aliquid huiusmodi.*

Ex qua auctoritate maior illa probatur: nam malum morale iuxta D. Thom. constituitur in ratione talis, in quantum desicit ei de plenitudine essendi, sicut malum physicum, quod est idem ac constituitur per privationem; sed constituitur in ratione mali simpliciter per privationem: ergo etiam constituitur in ratione mali moralis per privationem. Idem docet in hac quæst. 71. art. 6. vbi explicans definitionem peccati traditam ab August. expressè intendit explanare quòd *est* peccati, & omnia eius prædicata evolvens sic ait: *Respondeo dicendum, quòd, sicut ex dictis patet, peccatum nihil aliud est, quàm actus malus humanus: quod autem actus aliquis sit humanus, habet ex hoc, quòd sit voluntarius: quòd sit malus, habet ex eo, quòd caret debita commensuratione.* Et tandem concludit, quòd primum (quod est materiale) explicavit D. August. cum dixit *delictum, vel factum, vel concupitum*: & secundum (quod est formale) cum dixit *contra legem æternam*. Super que verba potest fieri eadem reflexio: nam carentia debite commensurationis cum regula apud omnes est privatio, que est malum simpliciter; sed iuxta D. Thom. peccatum in ratione formali peccati constituitur per eam: ergo.

65 Probatur secundò illa maior: Malum morale est simpliciter & absolute malum; sed in ratione mali simpliciter constituitur per privationem: ergo tam in ratione mali moralis, quam in ratione mali simpliciter constituitur per privationem. Maior probatur: si non esset malum absolute & simpliciter, nec ex consequenti diceret privationem; sed hoc est contra omnes Thomistas: ergo est malum simpliciter. Probatur sequela: nam idem est non esse malum absolute & simpliciter, ac esse malum secundum quid, & idem est esse malum secundum quid ac esse bonum in se, & malum alteri;

hoc modo est malum, non dicit privationem aliquis sibi debiti, licet in altero inducat privationem, ut liquet in igne, qui tantum est malum alteri, nempe aquae: ergo si malum morale non esset absolute & simpliciter malum, nec ex consequenti importaret privationem. Recolantur dicta num. 19.

66 Urgetur hoc: Malum morale pugnat cum universalis bono tam secundum explicitum, quam secundum implicitum; sed hoc ipso est malum non solum in se & absolute, sed etiam simpliciter, quod est idem ac constitui per privationem: ergo malum morale constituitur in ratione talis per privationem. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: nam id, quod pro implicito est bonum, nequit pugnare cum universalis bono: ergo vel malum morale non pugnat cum bono universalis absolute, vel pugnat cum illo non solum secundum explicitum, sed etiam secundum implicitum. Antecedens probatur: nam expressio cuiuscumque formalitatis, licet possit non esse expressio eius, quod pro implicito est, sicut rationale pro implicito est ens, & pro expresso non est ens, nequit tamen esse expressio conceptus contradicentis conceptui implicato; sed dicere pro implicito particulare bonum, & pugnare pro expresso cum universalis bono est dicere pro expresso conceptum contradicentem conceptui implicato: nam bonum particulare nequit pugnare cum universalis bono; aliis, sublato universalis bono, remaneret aliquod bonum particulare: ergo id, quod pro implicito est bonum, nequit pugnare cum universalis bono.

Hinc merito SS. PP. peccatum communiter appellant *nihil, puram privationem*. Ita D. Dionys. cap. 4. de divin. Nomin. ubi ait: *Peccatum non est aliquid existens, aut inexistens, sed privatio boni*. Damasc. lib. 2. de fide, cap. 4. Inquit, peccatum nihil aliud esse, quam privationem, & absentiam boni, sicut tenebrae sunt orbis lucis. August. tract. 1. in Ioann. exponens illa verba, *Et sine ipso factum est nihil*, ait: *Peccatum, quia peccatum est nihil*. Mitimus alios PP. brevitate gratia, quamvis habeant non minus expressum modum loquendi.

67 Ad hoc argumentum desumptum ex manuscriptis perdocti Iunioris supra citati: Respondetur negando maiorem. Nam peccatum constituitur in ratione mali simpliciter, quod sit tale in omni linea, per privationem, & in ratione mali moralis persè primò constituitur per positivum, ut ex probationibus nostrae sententiae satis constat. ¶ Ad primam probationem, & primam D. Thomae auctoritatem: Respondetur, Angelic. Doctorem cognovisse malitiam positivam in peccato commissionis, ut probatur ex ea eadem quest. 18. citata §. 1. Quare dicendum est, quòd in auctoritate nobis obiecta loquutus est de peccato in esse mali simpliciter.

tèr: vel de defectu contrario bonitati: vel de defectu causali, quasi dicat, peccatum constituitur per id, quod causat carentiam rectitudinis debite.

68 Secunda auctoritati respondetur, de finitionem peccati traditam à D. August. & relatum à D. Thoma in praedicto loco per hoc, quòd sit *dictum, factum &c.* satis denotare malitiam positivam, cum illud explicet per tendentiam positivam contra legem. Voluit tamen D. Thom. illam exponere per privationem tanquam per aliquid descriptivum, quod est extra essentiam peccati: quod multoties contingit in alijs definitionibus: plerumque enim proprietates, per quas traduntur, sunt nobis notiores. Hoc praecipue urget in peccato: tum quia tempore D. Thomae res hae nondum erant plenè examinatae. Tum & quia malitiam privativam nullus ignorat, cum de positiva plures dubitent: unde non debuit hanc definitionem receptissimam explanare per rem adeò obscuram. ¶ Maxime quia intentio D. Thomae in illo articulo non est explanare quidditatem peccati; ideòque titulus illius non est *quid sit peccatum*: sed ad definitio sit bona, ut legenti eius titulum constabit. Ad quod de materiali se habet, quòd definitio sit essentialis, vel descriptiva, dummodò servet leges bonae definitionis, & explicetur sufficienter natura definiti. *Adde*: Quòd quia praedictam definitionem extendit D. Thomas ibidem ad peccatum omissionis, convenienter fuit illam explicare per id, quòd est commune utriusque peccato, qualis est malitia privativa. Quae solutio quoad unam, & alteram partem potest adaptari testimonio praedicti, & fere omnibus quae nobis obijciunt Adversarij.

69 Secunda probatio ex ratione peccati aequivocatione laborat: quia confundit malum, quòd est tale simpliciter praecise in linea morali, cum malo morali, quòd est tale simpliciter in omni linea. Pro quo nota, malum morale aliud esse praecise in linea moralis; aliud non solum in linea morali, sed etiam in linea physica, quia in se nec pro explicito nec pro implicito dicit aliquam rationem entis. Utrumque autem est malum simpliciter, si ly *malum* referatur ad lineam moralem, quia pugnat cum universalis bono: sed in ratione mali praecise, malum morale, quòd in privatione consistit, est magis malum; & in comparatione illius malum, quòd pro expresso est aliquid positivum, & pro implicito dicit entitatem, in ratione praecise mali potest appellari *secundum quid*; quamvis hoc sit minus malum attempta linea praecise morali, quia ab eo dimanat malum, quòd in privatione consistit.

Ad rem ergo: Licet malum, quòd in nulla linea est malum simpliciter, sed tantum secundum quid, ut est ignis aquae, non dicat in se, & absolute adhuc ex consequenti privationem: malum verò quòd in linea morali est tale

simpliciter.

simpliciter, hoc est in se, & absolute, potest ex consequenti importare privationem. Ita se habet positivum, in quo constituitur naturam peccati commissionis, quòd, utpote pugnans pro expresso cum bono universalis, debet esse malum simpliciter: sed quia pro implicito dicit rationem entis, non debet esse malum simpliciter in omni linea. Et ita rectè cohaeret, quòd non sit malum simpliciter in omni linea, & quòd sit malum morale in linea determinata morali, & non tantum secundum quid: quia nullum malum morale, quòd est formaliter tale, potest esse malum secundum quid in linea morali, quia in se, & absolute est malum, quòd est contra rationem mali praecise secundum quid. Et hac ratione licet hoc malum morale positivum parificetur quodammodo malo physico, quòd est tale secundum quid, quia pro implicito dicit entitatem; & malum morale, quòd in privatione consistit, parificetur perfecte malo physico, quòd est tale simpliciter: reverà valde diversa sunt malum physicum, quòd est tale secundum quid, & malum morale, quòd in positivo constituitur: quia illud nullam malitiam intrinsecam importat, sed praecise est malum alteri, ut ignis aquae: & e conversò hoc malum morale in se, & intrinsecè est malum, & non solum malum alteri, scilicet virtuti, aut naturae.

70 Ad urgentiam respondetur, negando maiorem. Et ad eius probationem iterum negandum est antecedens. Cuius probatio non urget: quia nullum est incorveniens in eo, quòd in eadem entitate repellantur praedicta contradictoria, & quòd secundum unum conceptum exprimat aliquid nostro aspectu contradictorium conceptui implicato; qui quidem, coipsò quòd distinguantur virtualiter, immò secundum diversos expressiones, non sunt reverà adinvicem repugnantes, sed compatibles in eadem entitate. Relatio enim divina includit entitatem, seu naturam divinam, quae prout praecisa à relatione est communicabilis, & relatio incommunicabilis: en quomodo relatio est expressio quasi contradicens conceptui implicato in ea imbibito. Item natura divina includitur in conceptu speciei; & tamen sub conceptu naturae est incommunicabilis, & sub conceptu speciei communicabilis intellectui creato. Pariformiter ergo poterit in eadem entitate peccati dari expressio, quae secundum talem conceptum pugnet cum universalis bono, licet secundum implicitum entitatis non pugnet cum illo.

71 Ad auctoritatem PP. respondetur, intentum eorum solum fuisse extirpare errorem Manichaei ponentis duo prima principia substantialia rerum: aliud bonarum, & alterum malorum: ex quo inferebat, quoddam res esse secundum suam substantiam malas. Ad quem errorem extirpandum aiebant, peccatum esse nihil, id est non esse naturam aliquam substantialem. Et

licet occasione huius dicant, quòd peccatum nihil habet praeter boni privationem; interpretandi sunt vel de peccato omissionis, vel de peccato habituali, vel de malo, quòd absolute, & omnibus modis est tale simpliciter. Praesertim quia plures PP. malitiam peccati explicuere nominibus positivis, ut vidimus num. 42. Quos Adversarij sine praedictio suae sententiae interpretari conantur. ¶ Adde primò: quia SS. PP. frequentè ut aliquem errorem efficacius impugnent, in errorem oppositum inclinari videntur, qui ad sensum medium à Catholicis suaviter trahuntur. Et id ipsum potuit in presenti contingere. ¶ Adde secundò, SS. PP. non explicuisse essentiam peccati per privationem rectitudinis debite actui, sed per privationem boni habitus, aut actus: Et tamen non concedunt Adversarij, in hac privatione, sed in illa consistere essentiam peccati.

6. VII.

Secundum fundamentum pro sententia negativa.

72 Arguitur secundò: Peccatum respicit secundum suum conceptum obiectivum voluntatem ut purè deficientem: ergo nequit importare malitiam positivam. Patet consequentia: nam omne positivum petit produci per veram efficientiam. Antecedens probatur primò ab auctoritate PP. ut Dionys. Aug. Anselmi doctum, peccatum non habere causam efficientem, sed solum deficientem. Idque expressè habet Div. Thom. 1. part. quest. 49. art. 1. ad 3. ubi ait: *In rebus voluntarijs defectus actionis à voluntate actu deficiente procedit, in quantum non subijcit se actu suae regulae. Qui tamen defectus non est culpa, sed cum sequitur culpa ex hoc, quòd cum tali defectu operatur*. Idem docet in 2. ad Amib. dist. 35. quest. vnic. art. 4. in corp. ubi ait: *Natura actionis est à voluntate, secundum quòd est activa potentia, & ad bonum ordinata, cum nihil agat nisi ad bonum respiciens, ut dicit Dionys. Sed deformitas peccati causatur ex voluntate secundum defectum, qui eam consequitur, secundum quòd est ex nihilo*.

Ex quibus probatur secundò illud antecedens: Peccatum ut tale respicit voluntatem ut primum persè principium; sed voluntas creata solum ut purè deficiens est primum persè principium: ergo peccatum in ratione formali peccati respicit voluntatem ut purè deficientem. Minor probatur: nam voluntas creata solum potest esse primum persè principium sub ea ratione quae à Deo non dependet; sed solum sub ratione purè deficientis non dependet à Deo, alios darentur duo vera prima principia essentialia, & aliquis verus effectus non dependens à Deo, con-

tra veritatem Evangelij clamantis, quod sine Deo factum est nihil: ergo voluntas creata solum vt pure deficiens est primum perse principium.

Urgetur hoc, & simul impugnatur solutio, quæ à Noltris solet communiter adhiberi. Nam voluntas vt peccans vel constituitur in ratione peccantis per solum *efficere*, cui adiungitur ex consequenti deficiencia, vel per ipsum pure *desicere*, efficiencia ingrediente de materiali, vel per vtrumque in recto? primum, & vltimum nequit dici: ergo dicendum est secundum: & consequenter peccatum in ratione talis respicit voluntatem vt primum principium mere deficiens. Minor quoad primam partem probatur: tum quia nullum verum *efficere* stat sine voluntate, & concursu Dei, vt docet Schola Thomistica; sed voluntas vt peccans non dependet à Deo: ergo non constituitur in ratione peccantis per solum *efficere*. Tum etiam: nam explicitum peccandi nequit non esse *desicere*: ergo in ratione peccantis non constituitur per solum *efficere*.

Probat etiam minor quoad secundam partem: Explicitum *deficiendi*, prout distinguitur ab explicito *efficiendi*, se habet sicut positivum, & privativum; sed positivum, & privativum distinguuntur plusquam realiter: ergo in omni ratione formali peccati vel datur precise pure *desicere*, & privativum, vel in aliqua formali ratione peccati non importatur formaliter, & in recto *desicere*.

73 Ad hoc argumentum respondetur negando antecedens. Et ad primam eius probationem, dicendum est, Sanctos Patres, immò Div. Thomam ita docere, quod peccatum respicit voluntatem vt deficientem, quod simul doceant, respicere etiam eam vt efficientem per accidens, quæ reducitur ad causam perse, vt vidimus num. 60. Et licet hæc sit verè efficiens, potest denominari pure deficiens, vt contraponitur causæ absolute efficienci. Pro quo adverte, quod causa verè efficiens potest esse in duplici differentia: alia quæ ordinatur ad dandum esse; altera quæ non ordinatur ad dandum entitatem, & existentiam, sed tantum exprimit efficienciam alienius positivi, quod tantum pro implicito dicitur entitatem, & existentiam. Inter quas causas, vel (vt melius loquamur) inter quas expressiones eiusdem causæ hæc est differentia, quod secundum expressionem illam, quæ ordinatur ad dandum entitatem, & esse, dicitur absolute & simpliciter efficiens; & secundum posteriorem, prout priori contraponitur, potest dici efficiens secundum quid, estò verè exprimat minus efficiendi. Et hoc pacto peccatum in ratione formali peccati respicit voluntatem: quod, velint, nolint, concedere tenentur Adversarij, si vera sunt, quæ diximus toto §. 5. citò non concedatur malitia positiva moralis. Et cum aliàs voluntas creata reverà

deficiat in omni deformitate morali, propterea potuerunt dicere SS. PP. & D. Thom. quod peccatum secundum suam rationem formalem non habet causam efficientem, sed pure deficienciam.

Ad primam autoritatem D. Thomæ respondetur, fatendo, quod defectus vt talis procedit à voluntate deficiente: sed non negat S. Doctor, quod insuper procedat ab ea vt efficienci. Quinimò ex modo loquendi satis colligitur, procedere ab ea vt efficienci: nam idem est, peccatum formaliter vt tale procedere à voluntate, ac voluntatem verè efficere peccatum saltem per accidens.

74 Autoritas secunda includit argumentum non minus principale Adversariorum, quod sæpe inculcant, & est fundatum in illo celebri testimonio D. Dionysij dicentis, quod nullus intendens ad malum operatur: quod in presentem enucleandum est. Pro quo recolendum est testimonium D. Thomæ ex quest. 1. de Malo, articulo num. 44. vbi expresse docet, malum in moralibus, vt contraponuntur naturalibus, esse obiectum voluntatis. Item videri debet idem S. Doct. infra quest. 72. art. 1. vbi ex eo probatur peccatum in ratione formali peccati (in quo sensu de eo loquitur ibi) non accipere speciem ex privatione, sed ex tendentia ad obiectum: quia non intenditur perse; & id, quod dat speciem, debet intendi perse. Et cum obiectum formaliter vt malum debeat specificare peccatum in ratione formali peccati, manifestè inferitur, malum morale posse intendi perse. Unde axioma illud, *Nemo intendens ad malum operatur*, vel debet restringi ad malum, quod est simpliciter tale in omni linea, vt est privatio: vel debet intelligi de intentione fundata in inclinatione primaria voluntatis, & proveniente ab Authore naturæ.

75 Sed age: demus, probari ex autoritate prædicta Dionysij & D. Thomæ, quod peccatum non est perse intentum; adhuc non inferitur, quod non respiciat voluntatem vt verè efficientem. Nam relatio est esse positivum, & non perse intentum; & tamen terminat verum influxum. Item, privatio sive in physicis, sive in moralibus terminat influxum positivum, vt diximus toto §. 5. quamvis non sit perse intenta. Undè neque ex capite, quod aliquid sit positivum, debet perse intendi; neque ex capite, quod sit privatio, repugnat ei terminare verum influxum. Quare axioma prædictum ita debet exponi, quod voluntas perse non moveatur à malo vt malo: cum quo rectè coheret, quod moveatur à bono, & quod propter connexionem boni cum malo eius influxus præter intentionem & per accidens, vere tamen, extendatur ad malum vt malum.

76 Pro cuius maiori explicatione notà primò, quod malitia formalis, estò sit quid positivum,

est tamen quidam modus, qui non est de substantia, & linea volitionis, adhuc per modum extensionis ipsius volitionis, per quem volitio appetat, & velit obiectum vt morale, conferatque ipsi denominationem voliti: sicut volitio in linea physica conferat obiecto physice accepto prædictam denominationem. Et consequenter nec obiectum vt morale dicit aliquam rationem perse volibilem, sed solum dicit mensurationem passivam, seu subiectionem ipsius appetibilitatis obiecti ad legem vel per modum conformitatis, vel per modum difformitatis. Et similiter moralitas formalis actus non dicit aliquid de linea volitionis, sed est quædam mensuratione passiva actus illum subiciens legi, faciensque quod talis volitio obiecti sit conformiter ad legem, vel difformiter.

77 Cum quo stat (nota secundo) quod bonitas moralis obiectiva, quæ consistit in conformitate ad legem, positi sumi signatè, & vt res quedam: & hoc pacto est quoddam obiectum appetibile vt quod: quinimò ipsa malitia obiectiva apprehensa vt bona potest etiam esse obiectum appetibile vt quod. At ad bonitatem moralem, seu malitiam sic consideratam non terminatur volitio, prout pertinet ad lineam moralem sed prout pertinet ad lineam physicam: quæ volitio physica erit bona moraliter, si terminetur ad bonitatem obiectivam conformiter ad legem; & erit mala, si terminetur difformiter. Quæ intelligenda sunt de amabilitate in recto, & vt quod, non de amabilitate in obliquo, & vt quod: quia hoc modo tam bonitas, quam malitia moralis amantur à voluntate per ipsammet actum physicè acceptum, per quem amat obiectum: quia per actum, per quem amat obiectum vt quod, amat indivisibiliter vt quo modum, sub quo obiectum est volitum. Hinc ergo provenit, quod licet voluntas dicat tendentiam positivam ad obiectum vt dissonum, non intendat perse ipsam dissonantiam, nec tendentiam actus terminatam ad eam. Quibus satis constat ad secundam autoritatem, & ad totam primam probationem.

78 Ad secundam ex ratione petitam respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, verum esse, quod voluntas creata est primum principium, sub ea ratione quæ à Deo non dependet: falsum tamen est, quod dependeat à Deo sub omni vera efficiencia, & quod non dependeat præcisè sub ratione pure deficiens. Nam quando *efficere* nequit adhuc pro explicito à *desicere* denudari, nequit à Deo dependere: & huiusmodi est *efficere*, in quo positivum peccati consistit, & *efficere* ipsius privationis moralis, & fundamenti, quod est verum *efficere*, sed impræcindibile à *desicere*. Nec inconvenit concedere duo prima principia efficiencia, si vnum est in ordine ad dandum esse, & alterum non ad dandum esse, sed ad causandam aliquam deformitatem vt ta-

lem, dummodò hoc dependeat à primo in efficiencia entitatis transcendentaliter in ea inclusa, vel fundamenti illius materialiter sumpti.

79 Ad vigintiannam responsetur eligendo tertiam partem dilemmatis, hoc est, quod voluntas vt peccans peccato commissiois constituitur in ratione talis per *efficere*, quod in recto, & impræcindibiliter sit etiam *desicere*. Contra quod nihil urget probatio: nam licet *desicere* privativè nequeat identificari cum vero *efficere*, *desicere* tamen contrariè, seu positivè potest omnino identificari cum vero *efficere*. Porro primum prædictum peccati commissiois ita est *efficere*, quod simul & impræcindibiliter absque vlla distinctione sit *desicere*, non vtrumque, sed contrariè; & propterea nec in tali prædicto includitur privatio, nec excluditur positivum. Et inflatur in efficiencia ipsius privationis, quæ, iuxta superius dicta, vera efficiencia est; & tamen, prout est talis efficiencia, est verum *desicere* saltem fundamentaliter, nullam in recto importans privationem formalem. Nec per hoc excludimus, quod detur in peccato aliquid pure *desicere* consistens in privatione, sed hoc se habet ex consequenti in peccato, supponens aliud duplex *desicere* identificatum omnino cum vero *efficere*, aliud formale consistens in malitia positiva, & aliud fundamentale, in quo formale fundatur, quæ saltem per nostros conceptus distinguuntur.

§. VIII.

Tertium, & vltimum fundamentum præsentia negativa.

80 Tertio, & vltimo arguitur contra malitiam positivam. Nam si daretur malitia positiva, Deus esset causa peccati vt talis; hoc pugnat cum summa sanctitate Dei: ergo in peccato nulla datur malitia positiva. Sequelæ maioris probatur: nam Deus prædeterminans ad entitatem peccati, prædeterminat ad id quod est peccatum; sed prædeterminans ad id, quod est peccatum, prædeterminat ad peccatum: ergo prædeterminaret ad peccatum, ac proinde esset causa peccati.

Ad hoc argumentum satis responderetur tract. 4. disp. 3. à num. 113. necnon num. 128. & deinceps per totum §. & tandem ex dictis supra in hoc dubio toto §. 5. iuxta quæ dicendum est, quod Deus prædeterminat ad id, quod est peccatum, secundum formalitates *entis*, *actus*, & alias, quæ expriment perfectionem; secus verò ad ipsum peccatum secundum expressionem *malitiam*.

81 Sed contra hanc solutionem obijciens primò: Implicat essentia, quæ sit verè, & non sit essentia, & à Deo non sit, sed si peccatum pro formali est aliquid positivum, est vera, & non sita

essentia: ergo pro formali est a Deo. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, probatur: nam implicat essentia, qua vere, & non fidei essentia sit, & non sit participata ab ente per essentiam; sed idem est, esse participatam ab ente per essentiam, ac esse a Deo: ergo implicat essentia, qua vere, & non fidei sit essentia, & non sit a Deo.

Confirmatur: Hac consequentia est efficacissima apud Thomistas contra Iesuitas: *Peccatum pro formali est verum ens in rerum natura existens: ergo pro formali est participatum a Deo, & ab eo proprie causatur*: Ergo etiam hac debet reputari non minus efficax: *Peccatum pro formali est vera essentia, & in rerum natura existens: ergo peccatum pro formali est participatum a Deo, & ab eo proprie causatur*. Probatur consequentia: quia inde reputatur prima consequentia efficax, quia implicat verum ens reale a Deo proprie non causatum; sed idem militat in omni vera essentia: ergo vel non est efficax contra Iesuitas, vel est efficax contra nos. Vel si nobis absurdum videtur, dari verum ens non causatum a Deo, vt concedunt Iesuitae; cur absurdum non videtur, dari veram essentiam non causatam a Deo? Vel aliter: si Deus non est causa vera essentiae deformitatem implicantis; cur debet esse causa omnis entitatis, etiam si transcendentaliter includatur in ipsa deformitate? Redde (inquit Adversarij) disparitatem sine petitione principij.

82 Urgetur hac obiectio. Implicat, aliquid esse veram naturam, & a Deo non causari; sed omnis vera essentia est vera natura: ergo implicat vera essentia a Deo incausabilis: ergo cum peccatum, si constituitur per positivum, sit vera essentia, debet a Deo causari. Omnia constant praefer maiorem. Quae sic probatur: tum quia implicat, aliquid esse veram naturam, & esse sibi disconvenientem; sed si est vera natura a Deo non causata, est sibi disconveniens, cum repugnet cum univ. bono: ergo implicat, aliquid esse veram naturam, & a Deo non causari. *Tum etiam*: Nam omnis vera natura est alteri, vel sibi conveniens; sed implicat vera natura sibi, vel alteri conveniens, & quod non causetur a Deo: nam quod sibi, vel alteri est conveniens, non disconvenit bono univ. bono; & quod non disconvenit bono univ. bono, est causabile a Deo: ergo idem quod prius.

83 Obijcies secundò: Deus causat omnem rationem entis in peccato repertam: ergo causat peccatum. Probatur consequentia: nam causans id, quod formaliter, & reduplicative est peccatum, causat peccatum; sed qui causat omnem rationem entis in peccato repertam, causat id, quod formaliter, & reduplicative est peccatum: nam peccatum sub quavis reduplicatione est id, quod ipsum vsque ad ultimam differentiam transcendit: ergo si Deus causat omnem rationem entis in peccato repertam, causat peccatum.

Explicatur. Nam aliud est, quod ultima differentia peccati non exprimat entitatem, sicut illam non exprimit v. g. rationalitas: aliud autem quod id, quod exprimit, non sit, sub quavis praecisione conceptum, ens. Primum est verum: quia ultima differentia solum exprimit deordinationem ad obiectum, quae expressio non est ipsa expressio entis. Secundum autem est falsum in omni sententia Thomistarum: quia cum ens sit ratio transcendens quamcumque differentiam positivam, implicat, quod differentia peccati non sit sub qualibet reduplicatione ens.

Ex quo urgetur praecedens obiectio. Nam litigium praesens non consistit in eo, an peccatum exprimat esse causatum a Deo; sed an sit causatum a Deo: sed id, quod peccatum exprimit, est causatum a Deo, licet non exprimat, esse causatum a Deo: ergo si peccatum in ratione formali peccati consistit in positivo, reipsa causatur a Deo. Probatur minor: quaecumque ratio entis causatur a Deo; sed peccatum in ratione formali peccati physice est ens, licet non exprimat esse ens: ergo.

84 Obijcies tertio: Malitia pro expresso malitia exprimit esse ens; sed Deus producit, iuxta communem sententiam Thomistarum, id quod exprimit esse ens: ergo producit expressum malitia. Maior probatur: malitia pro expresso malitia exprimit non esse nihil: ergo exprimit esse ens. Probatur consequentia: si exprimit esse non nihil, exprimit esse aliquid: ergo esse ens.

Confirmatur. Malitia pro expresso malitia exprimit rationem tendentiae positivae ad obiectum dissonum vt tale; sed explicare rationem tendentiae positivae ad obiectum dissonum vt tale, est explicare rationem entis: ergo malitia positiva exprimit esse ens. Minor probatur: tum quia explicare tendentiam positivam ad quodlibet aliud obiectum adhuc morale est explicare rationem entis: ergo explicare rationem tendentiae positivae ad obiectum vt dissonum, est etiam explicare rationem entis. Patet consequentia: nam sicut ratio tendentiae ad quodlibet aliud obiectum est differentia entis, sic etiam ratio tendentiae positivae ad obiectum vt dissonum. *Tum etiam*: Quia explicare rationem tendentiae positivae ad obiectum vt dissonum, est explicare suam essentiam; sed explicare suam essentiam est explicare rationem entis, in eo sensu quo qualibet differentia entis explicat rationem entis: ergo. Probatur minor: nam ens, & essentia idem intransitive sunt, cum ens sit, cui competit esse, seu existentia: & id, cui competit existentia, est essentia.

85 Ad hos modos objiciendi contra communem solutionem principialis argumenti possunt reduci alij innumeri, quibus vtuntur Adversarij potius ad exercitandum tyrones, quam ad

ad obtundendam veritatem nostrae sententiae. ¶ Ad primam ergo obiectionem respondetur negando maiorem. Et ad eius probationem dicendum est, quod licet repugnet vera essentia, quae sit talis in esse physico, quae non participet ab ente per essentiam; non tamen implicat vera essentia pure moralis, quae non sit participata ab ente per essentiam. Et huiusmodi est essentia peccati commissionis. Unde praedicta essentia solum dicitur ens per participationem, si ly per participationem significet quid finitum & limitatum; secus vero si significet, esse quid participatum ab ente per essentiam, vt est Deus.

Ad confirmationem respondetur, primam consequentiam firmatam a Thomistis contra Iesuitas esse efficacissimam. Iesuitae enim ponunt entitatem physicam, & dicentem existentiam veram non causatam proprie a Deo: cum revera nullum sit verum ens physicum, quod vt tale non sit proprie & formaliter participatum: alias, vt recte arguunt Thomistae cum suo Angelico Praeceptore, darentur absolute, & simpliciter duo prima principia, aliud bonarum actionum; quod est Deus; & aliud malarum etiam quoad suum esse physicum, quod est homo, ac proinde incidere in errorem Manichaei. Et propterea perpetuus est D. Thomas in asserendo, quod actio mala in ratione entis physici, sub qua non exprimit deformitatem, sed ordinem ad existentiam physicam, est perse a Deo. Ad secunda consequentia contra nostram sententiam illata non est ita efficax: quia in peccato distinguimus duplicem essentiam, aliam pertinentem ad lineam physicam, & alteram ad lineam moralem, & hac comparative ad illam potest dici talis secundum quid, quia non ita primo ordinatur ad existentiam, sicut illa.

Asserimus simul, quod peccatum secundum primam essentiam est perse a Deo. Ideoque non constituitur duo prima principia respectu actionis bonae & male; cum actio mala in ratione entis procedat etiam a Deo. Unde nosset modus dicendi toto caelo distinguere a modo dicendi Recentiorum Societatis, quamvis concedamus, actionem malam quoad expressionem malitiae, ac proinde eius essentiam, aliquomodo a priori distinctam, non procedere a Deo, sed a voluntate creata velut a primo principio. Nam aliud est negare, totam essentiam actionis male procedere perse a Deo, vt negant Iesuitae: aliud negare, expressionem aliquam illius essentiae adaequate procedere: hoc secundum sine inconvenienti potest, immo & debet negari, quia est expressio deformitatis, & in omni sententia catholica debet negari, hanc expressionem procedere perse a Deo. Primum vero sine inconvenienti negari non potest: sicut negari non potest, quod actio illa, prout dicitur ordinem ad existentiam physicam, est bona, & dependens a bono per essentiam.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

86 Ad urgentiam respondetur eodem modo, quod licet repugnet vera natura in esse physico, quae non sit participata a Deo; non tamen repugnat vera natura pure moralis, quae non sit participata a Deo. ¶ Ad vtramque probationem unico verbo respondetur, quod vera natura physica debet esse sibi conveniens: ceterum vera natura pure moralis potest nulli esse conveniens, quia consistit in deformitate quoad se.

Ad secundam obiectionem satis constat ex dictis locis supra citatis ex tract. 4. Et iuxta ibi dicta asserendum est, quod Deus solum causat illas rationes seu expressiones, quae nullam dicunt deformitatem; secus vero rationem illam seu expressionem, quae dicit deformitatem: quia obiectum omnipotentiae tantum sunt illae rationes, quae in se non explicant inordinationem. Recolantur ibi dicta.

Ad illius urgentiam respondetur, litigium inter Nos, & Adversarios non tantum esse, an peccatum exprimat esse causatum a Deo; sed etiam, an revera sit vt quod, licet sub ratione entis, causatum a Deo? Adversarij conantur suadere contra Nos, quod omnis ratio entis revera causatur; & cum positivum peccati sit vera ratio & differentia entis, debet causari a Deo. Sed infeliciter: quia non omnis ratio & differentia entis debet a Deo causari. ¶ Et dum arguitur, quod Deus vel causat rationem entis, quae in positivo consistit, vel non causat omnia sub univ. verissima ratione entis, cum detur vera ratio entis, quae non causetur a Deo: Respondetur, ad hoc satis esse, quod ratio entis physice sumpti, & in illo positivo per transcendentiam inclusa producat: quia tantum producit omnia sub univ. verissima ratione entis physice sumpti, seu moralis non exprimentis deformitatem, secus vero sub univ. verissima ratione entis moralis.

87 Ad tertiam obiectionem respondetur, malitiam positivam pro expresso malitiae explicare rationem entis in eo sensu, in quo tendentia positiva ad obiectum consonum, & qualibet alia differentia entis illam explicat. Hoc enim probat convincenter replica quoad vtramque probationem: quia sicut ex conceptu entis, & expresso bonitatis, seu tendentiae ad obiectum vt consonum resultat quaedam species entis, sic etiam resultat ex conceptu, & expressione malitiae. Quare sicut qualibet alia differentia entis pro explicito differentiae imbibit rationem communem entis seu essentiae, & explicat totalitatem essentiae seu entis; sic etiam differentia malitiae pro explicito malitiae imbibit rationem entis & essentiae, & explicat differentiam illius, seu esse ens & essentiam, secundum id quod dicit de differentia, & distinctione ab alijs entibus.

Sed stat discrimen inter expressum malitiae

& expressum cuiuscumque alterius differentia, quod expressum malitia est differentia entis illud inficiens: per illam enim ens redditur moraliter malum repugnantique rectæ rationi; quod non habent aliæ entis differentie. Ideoque licet aliæ differentie entis pro expresso differentiarum sint à Deo, non tamen malitia pro expresso malitia: quia licet Deus causet adæquate omnem differentiam entis non experimentis repugnantiam aliquam cum divina lege; non tamen causat adæquate speciem entis illam experimentis, sed solum secundum illam rationem qua illam non explicat. ¶ Si verò inferas, quod omnis vera essentia connotat existentiam, & prout sic est causabilis à Deo. Respondetur, quod Deus non producit existentiam malitiæ, secundum id quod dicit de defectu. Vel potest dici, quod expressum malitia non asserit propriam existentiam, sed existit solum mediâ, & concomitanter, ratione entitatis quam imbibit: sicut relatio divina existit ratione essentia. Quo exemplo præcluditur alia obiectio.

§. IX.

Duo corollaria.

88 **EX** dictis inferitur primò, potentiam peccandi constitui per aliquid positivum. Ratio evidens est, si vera sunt hucusque dicta: nam omne positivum petit habere causam positivam: quia ex nihilo nihil fit, ut nobis obijciunt Adversarij, & infra videbimus; sed dantur plura prædicata positiva, quorum principium est potentia peccandi formaliter ut talis, ut positiva malitia peccati hucusque propugnata, fundamentum malitiæ repertæ in peccato tam commissionis, quam omissionis, vitium sub expressione vitij: ergo potentia peccandi consistit in positivo.

89 Sed obijciens: Si voluntas, ut est potentia peccandi, consisteret in aliquo positivo, esset vera potentia; sed hoc est falsum: ergo potentia peccandi non consistit in aliquo positivo. Probatur minor primò ex SS. PP. qui explicant potentiam peccandi nominibus significantibus potius impotentiam, quam potentiam. Ita D. Ambros. lib. 6. epist. 37. ad exprimentum, quomodo Deus mentiri non possit, sic ait: *Impossibile est ei mentiri: impossibilitas ista non infirmitatis, sed virtutis est, & maiestatis.* Theophil. ad Marc. 1. *Dicimus itaque, peccatum non esse potentia, sed infirmitatis.* D. Anselm. increpans communem modum loquendi, quo vocamus defectibilitatem in peccatum potentiam, sic ait in Prolog. cap. 7. *Qui sic potest, non potentia potest, sed impotentia. Non enim dicitur potest, quia ipse potest, sed quia sua impotentia facit aliud in se posse: sicut multa improprie dicuntur, ut cum ponimus esse*

pro non esse, & facere pro eo, quod est non facere. Euthim. cap. 15. Matth. ait: *Non dicimus, quod facere mala non est potentia, sed impotentia: ab impotentia purus defectus est, & in purum defectum, seu nihil valens prorumpere.* Accedit D. August. qui lib. 25. de Civit. Dei, cap. 9. ait: *Omnium potestatum dator est, non voluntatum: male quippe voluntates ab illo non sunt.* Sentit ergo, quod potentia peccandi non est vera potentia; aliâ esset à Deo. Item in odem lib. cap. ultim. ait: *Arbitrium eo potentius erit, quod peccare non poterit; sed si potentia ad peccandum esset vera potentia, & non defectus potentie, hoc esset falsum: quia potentior est potens ad duo, quam ad unum tantum: ergo iuxta D. August. potentia peccandi non est vera potentia.*

90 Div. Thomas idipsum clarè docet: Nam quest. 1. de Potent. art. 6. in corp. sic ait: *Quædam sunt, quæ secundum nomen potentiam important, quæ secundum rem sunt potentie defectus: sicut multa negationes sunt, quæ in affirmationibus includuntur, ut cum dicitur posse deficere, videtur secundum modum loquendi potentiam quandam importari, cum magis potentia defectus importetur: & propter hoc potentia aliqua dicitur esse perfecta, secundum Philof. 5. Metaph. quando ista non potest..... Et propter hoc dicitur, Deum non posse deficere, non posse peccare &c. Ergo sentit D. Thom. potentiam peccandi nomine tenens esse potentiam, in re tamen esse defectum potentie. Item quest. 22. de Verit. art. 6. in corp. ait: *Velle malum est quoddam libertatis signum, licet nec sit libertas, nec pars libertatis; sed si esset vera potentia, esset libertas: ergo iuxta D. Thom. non est vera potentia.**

91 Probatur secundò eadem minor ratione: Nam implicat potentia persè ordinata, & specificata à malo; sed potentia peccandi, si vera potentia est, persè ordinatur, & specificatur à malo: ergo potentia peccandi non est vera potentia. Maior probatur: tum quia nulla potentia potest ordinari persè, & specificari ab eo, quod est imperfectio sui ipsius; sed malum ut malum est imperfectio sui ipsius, immò & totius nature rationalis: ergo implicat potentia persè ordinata, & specificata à malo. Tum etiam: Quia potentia persè ordinata, & specificata à malo est potentia tendens per innatam inclinationem in malum, cum omnis potentia tendat per innatam inclinationem in sui specificativum, ad quod persè ordinatur; sed implicat potentia tendens per innatam inclinationem in malum: ergo.

92 Probatur tertio eadem minor: Nam potentia peccandi provenit ex eo, quod voluntas seu natura intellectualis est ex nihilo; sed vera potentia consistens in positivo nequit provenire ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit: ergo potentia peccandi

peccandi non est vera potentia. Quam probationem mire docuit D. Thom. 2. ad Ansbald. dist. 35. quest. vnic. art. 4. vbi ait: *Deformitas peccati causatur ex voluntate secundum defectum, qui eam consequitur, secundum quod est ex nihilo: nihili autem Deus non est causa.* Idem docet in 2. dist. 37. quest. 2. art. 1. vbi ait: *Quamvis Deus sit causa voluntatis faciens eam ex nihilo, hoc tamen, quod est ex nihilo esse, non habet ab alio, sed à se. Unde secundum hoc non habet aliam causam. Et ideo defectus, qui sequitur ex ea, secundum quod est ex nihilo, non oportet, quod in vltiorem causam reducatur.* Et quest. 22. de Verit. art. 6. ad 3. ait: *Quod voluntas sit flexibilis ad malum, non habet, secundum quod est à Deo, sed secundum quod est ex nihilo.* Ex quibus omnibus habetur, & quod potentia peccandi est ex nihilo, ex quo nihil potest originari: & quod potentia peccandi est purus defectus, & propterea non est à Deo.

93 Ad hanc obiectionem tot, & tantis probationibus munitam respondetur, negando sequelam maioris. Et ad primam probationem in testimonio SS. PP. fundatam satis constat ex dictis num. 73. nam intantum illorum solum est, quod posse peccare non est potentia vera perfecta natura, sed potius potentia inficiens eam: & propterea potuit appellari ab eis nomine defectus, non puri, sed positivi. ¶ Ad primum testimonium D. Thomæ eodem modo ex ibi dictis respondetur: nam potentia peccandi propterea dicitur talis nominibus impotentia, seu potentia defectus: quamvis sit vera potentia, quia est potentia non ordinata ad perfectionem, sed ad defectum; at hic five sit simul effectus, si vè purus defectus respicere debet veram potentiam, seu principium positivum efficiens. ¶ Ad secundum respondetur, in eo tantum intendere, quod posse velle bonum, & malum non est constitutum libertatis: proindeque non est libertas, nec pars libertatis essentialiter, sed tantum est signum libertatis. Per quod videri debent, quæ diximus tract. 9. disp. 2. dub. 2. per totum, maxime num. 16. Unde ex hoc testimonio nihil concluditur contra nos.

94 Ad secundam probationem respondetur, negando maiorem. Et ad eius primam probationem dicendum est, quod sicut potentia specificata ab obiecto bono perficitur ab eo, ita potentia persè specificata à malo inficitur ab eo. Nec vllum inconueniens est in eo, quod concedamus, dari potentiam secundum aliquem expressum conceptum malum ordinari persè, & specificari à malo, & ab eo infici. Unde D. Thom. in 3. dist. 12. quest. 2. aperte concedit potentiam peccandi persè ordinatam ad peccandum, his verbis: *Aliquis habet potentiam peccandi, non intelligitur, quod habeat liberum arbitrium, sed quod habeat ipsum ordinatum ad*

peccandum. ¶ Ad secundam probationem dicendum est, aliud esse, quod potentia peccandi dicat suam talem qualem inclinationem ad malum, seu ad peccatum; aliud verò quod hæc inclinatio sit inclinatio nature: primum absque vllò inconuenienti possumus concedere; sed secundum positivè est falsum, nec vnuquam potest colligi, aut probari: aliâ; cum inclinatio nature sit à Deo, ab ipso efficitur etiam talis inclinatio potentia peccandi ad peccandum.

95 Ad tertiam, & principalem probationem respondetur distinguendo maiorem: *provenit ex eo, quod voluntas est ex nihilo, itur ipsa negatio essendi à se fit vera causa potentie peccandi, nego maiorem; itur talis negatio fit quadam ratio à priori, ex qua resultat talis potentia per resultantiam logicam, concedo maiorem.* Ex quo distinguitur minor: *nequit provenire ex nihilo per verum influxum, concedo minorem; logicè, nego minorem.* Nam dum dicitur, quod creatura rationalis habet potentiam peccandi, ex eo quod est ex nihilo, non est intelligendum, quod ex nihilo resultat per verum influxum, sed, supposito quod creatura est facta ex nihilo, seu potest redigi in nihilum, habet à se prædictam potentiam peccandi. Et hic est genuinus sensus D. Thomæ, & aliorum PP. ¶ Nec repugnat, quod creatura habeat à se potentiam defectivam: quia ipsa est primum deficiens tam privativè, quam contrariè. Et hoc intelligendum est de potentia peccandi tam radicali indistincta ab anima, quam de proxima indistincta à voluntate, & alijs potentijs: quia hæc non producat ab anima per propriam actionem, ut supponitur: nec resultat ab ea per veram emanationem; aliâs potentia radicalis peccandi, à qua proxima dimanaret, produceretur à Deo per veram actionem. Hæc potentia, quæ in alijs est reipsa potentia peccandi, residet in Christo, & Beatis. Dicuntur tamen non posse peccare, quia eius usus est impeditus in eis, aut potius sublata est ipsa potentia peccandi, maxime in Christo.

96 Inferitur secundò ex dictis, moralitatem, prout est prædicatum superius ad moralitatem bonam, & malam hucusque stabilitam, esse genus rigorosum. Et ratio est: quia talis moralitas ex una parte est positiva, & ex alia præcindit, à suis differentijs, & tandem æqualiter descendit in inferiora; sed prædicatum illud, in quo hæc omnia extant, nequit non esse vniuocum, & rigorosum genus: quia nihil aliud ad conceptum vniuocum videtur desiderari: ergo moralitas est verè genus, & vniuocum ad moralitatem bonam, & moralitatem malam hucusque stabilitam. Præsertim, quia ex eo præcisè capite negant Adversarij, moralitatem esse vniuocam, quia malitia non consistit in positivo: ergo, semel stabilita prædicta malitia, consequens est, quod moralitas sit verè genus.

Diximus moralitatem malam hucusque stabilitam: quia cum datur ultra hanc malitiam malitia privativa tam in peccato omiſſionis, quam in peccato commiſſionis, & ad privativam, & poſitivam non poſſit dari quid univocum, & forte nec analogum, neceſſario fatendum eſt, quod moralitas in ſui univerſaliſſima ratione non eſt quid univocum, immo nec moralitas mala propter eandem rationem. Et propterea N. perdocti Salmant. conſtituunt duo quæ ſuprema prædicamenta ad dividendas ſpecies moralitatis, quæ ſunt primò diverſa: quorum diviſio poteſt videri in eis in præf. num. 95. Hoc intelligendum eſt de moralitate mala ſumpta metaphyſice: nam aliter diſcurrendum eſt de ea ſumpta purè moraliter, juxta dicta num. 48.

Latius in hoc dubio fatiſ implexo protendimus, ut ſententiam NN. Salmant. pro viribus foreveremus: quia oppoſita opinio regulariter in hac tempeſtate non ſolum ab extraneis, ſed etiam ab ipſis Thomiſtis tam ſcripto, quam publicis concertationibus in Academijs defenditur. Utinam ex dictis aliquid novum robor tantorum Patrum, & D. Thomæ ſententia accipiat, quod eſt idem, ac veritati magis conſona appareat.

DUBIUM IV.

In quo eſſentia peccati originalis conſiſtat?

REM aggredimur adeo diſſicilem, ut magnam illud D. Auguſt. ingenium lib. 3. de Peccat. merit. & remiſſ. cap. 4. ingenue fateatur ſe difficultatum nebulis, quas Pelagiani obſciebant, adeo obvolutum eſſe, ut ſuperare non poſſet: nam licet nihil ſit hoc peccato ad prædicandum noſtius, nihil tamen eſt illo ad intelligendum ſecretius. Unde ignorantiam ſuam profiteri non erubescens in epiſt. 28. ad Hieron. poſt mediàm ſic ait: *Sed cum ad pœnas ventum eſt parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor anguſtijs, nec quid respondeam, prorsus invenio.* Si hæc ergo omnium ingeniorum aquila, quid nos humi repentes ſperamus, & hæc pertractare audeamus? Sed non ob hoc diffidentes rem hanc explanare curabimus adherentes eius doctrine, implorata prius ſcientia Sanctorum, maxime D. Thomæ.

Sed claritatis gratia, nota, nomine peccati originalis non intelligi in præſenti illum primum actum, quo Adamus deliquit, & ſolet appellari originale originans, ſed effectum illum, qui ex hoc ad poſteros deſcendit, eſtque de genere peccati habitualis, & communiter dicitur originale originatum, & pro quo ſtat nomen abſolute dictum. De hoc ergo vnum tantum expoſitò intelligamus, ſcilicet eius eſſentiam, de qua agit D. Thom. quaſt. 82. Dicemus tamen nonnulli de alijs ad illud conducentibus, ut

de eius eſſentia, voluntarietate, & cauſa, aut per modum ſuppoſitionis, aut per modum coſtollarij. Quod ſer breviter, & diſtinctionis gratia ſub diverſis ſſ.

ſ. I.

Plures ſuppoſitiones.

97 Supponimus primò, aliquid, quod habeat rationem peccati, traduci intrinſecè ex peccato Adami ad poſteros, excepta Beatiffima Virgine Maria. Hæc ſuppoſitio eſt de fide, diſtinctaque in pluribus Concilijs, & deducta ex ſacra Pagina. Nam pſalm. 50. dicitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quod non poteſt intelligi de peccato actuali, ut inquit D. Thom. 4. Contra gent. cap. 50. cum David ex legitimo matrimonio conceptus, & natus dicitur. Et Iob. 14. dicitur: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſeminè? Nonne tu qui ſolus eſ?* Et Apolt. ad Roman. 5. inquit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quo teſtimonio præcipue immititur Trid. ad hanc veritatem catholicam hæreticis perſuadendam ſeſſ. 5. can. 2. illamque diſtincti ibi, & can. 3. Ibi omnino videri debet.

98 Supponimus ſecundò, peccatum originale verè, & proprie eſſe peccatum, & reverè nobis voluntarium. Ita omnes Theologi. Ex quibus aliqui exiſtimant eſſe de fide, & oppoſitum modum dicendi hæreticum. Alij dicunt eſſe erroneum. Alij errori proximum. Alij temerarium. Et alij indefenſibilem. Et colligitur planè ex Trid. loco proxime allegato can. 5. ubi ait: *Si quis per Jeſu-Chriſti Domini noſtri gratiam, qua in baptiſmate conſertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id (perpende verba) quod veram, & propriam peccati rationem habet... anathema ſit.* ¶ Probaturque ratione: nam quod reverè per modum reatus eſt dignum pœna æterna damni, eſt verè & proprie peccatum; ſed peccatum originale eſt dignum pœna æterna damni per modum reatus, ut fides docet: ergo eſt verè & proprie peccatum. Deinde: Id, quod alicui eſt iuſte imputabile ad pœnam, eſt illi verè, & proprie voluntarium; ſed peccatum originale eſt nobis iuſte imputabile ad pœnam, ut ipſa fides docet: ergo eſt verè, & proprie voluntarium.

99 Si autem inquiras, quonam modo eſt voluntarium? Reſpondetur eſſe voluntarium, non phyſice, ſed moraliter, & per modum termini. ¶ Pro quo nota primò, voluntarium terminativum eſſe duplex, aliud eſt, cui ratio volun-

luntarij competit tantum per accidens, & in fieri: quia ex vna parte ſit per influxum voluntatis; & ex alia eodem modo quoad ſiam entitatem permanet, poſtquam eſt productum, ſive retractetur, ſive non: & hoc modo ſunt voluntarij habitus vitij, & virtutis, quia voluntate producuntur. Alterum eſt, cui ratio voluntarij competit perſe: quia pendet in fieri, & conſervari à voluntate quatenus ratio voluntarij perfeverat in eo, ſi voluntas non retractatur, ſecus verò ſi retractetur: & hoc modo eſt voluntarius impuſus, qui eſt terminus voluntatis internus, ſicut verbum intellectus: eodem modo eſt voluntarium peccatum habituale personale, quia eſt terminus peccati actualis, & pendet in fieri, & conſervari ab illo, de quo infra plura dicemus. ¶ Nota ſecundò, hoc voluntarium terminativum, ſicut & actuale, etiam eſſe in duplici diſtinctione: aliud procedit phyſice per actum propriæ voluntatis; & hoc modo ſunt voluntaria noſtra peccata habitualia personalia, necnon peccatum habituale Adami, ex quo ortum duxit noſtrum peccatum originale. Alterum procedit per actum voluntatis alienæ, quatenus in ea verè in capite continetur voluntas alterius, & reputatur aliquomodo, hoc eſt moraliter, propria, & hoc eſt, & dicitur originale; & huiusmodi eſt peccatum originale, de quo procedit dubium. ¶ Pro quo nota tertio, quod cum Deus magis habeat in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas, ut ſæpe repetit D. Auguſt. potuit Deus tranſferre voluntates omnium deſcendentium ab Adamo in ipſius voluntatem quantum ad hoc, ut ſi averteretur ab ultimo fine per tranſgreſſionem legis de ligno verito, poſteri illius cenſerentur etiam eadem averſione averſi voluntariè voluntate capitatis, reputata propria illorum per præſatam tranſlationem autoritate divina. Nam ſi autoritate Principis, ſive Reipublicæ voluntas pupilli, & minoris cenſetur voluntas Curatoris, & Tutoris; & vorum ieiunandi ad honorem alicuius Sancti, emiſſum à capitibus Reipublicæ, cenſetur emiſſum ab omnibus civibus, ita ut omnes obliget, & voluntas iſtorum ſit moraliter voluntas illorum, cur Deo ſimilis, & amplior poteſtas deneganda eſt? Et quod ita factum fuit, fatiſ conſtat ex determinatione Pij V. damnantis propoſitionem 47. Michaëlis Baij, quæ eſt huiusmodi: *Unde peccatum originis verè habet rationem peccati ſine ulla relatione, & reſpectu ad voluntatem, à qua originem habuit.* ¶ Adde: Nam ſuppoſita vera ratione peccati in originali, veraque aliqua ratione voluntarij, aliqua via hæc ratio inveſtiganda eſt, & nulla aptior eſt ſicut deſcripta.

100 Si autem inquiras, vtrum ad hoc fuerit neceſſarium aliquid pactum inter Deum, & Adamum? ¶ Reſpondetur affirmativè cum maiori, & ſaniori parte Theologorum. Qui ad

hoc præcipue ducuntur ex illis verbis Oſea. 6. *Ipsi autem, ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt pactum.* Quem locum communiter intelligunt interpretes cum D. Hieron. & alijs PP. de pacto, quod Deus celebravit cum Adamo de tranſfundenda iuſtitia originali in poſteros, ſi obſervaret præceptum à Deo ſibi impoſitum; vel de non tranſfundenda, ſi frangeret illud, ¶ Rationeque probatur: nam Adamus iure generationis non erat caput morale totius poſteritatis præcipue circa bona ſupernaturalia, nec habebat ius circa illa bona: ergo neceſſaria fuit ordinatio Dei conſtituentis illum caput morale pro iuſtitia originali tranſfundenda, vel amittenda in poſteris; ſed prædicta ordinatio, ut Adamo revelata, & ab ipſo admiſſa, eſt pactum: ergo neceſſarium fuit tale pactum. Suppoſita ergo ex dictis eſſentia peccati originalis in poſteris Adami, dubium graviſſimum occurrit diſputandum inter Theologos, in quo eius eſſentia conſiſtat? Pro cuius reſolutione ſupponimus id, quod certum eſt, vel ſecundum fidem, vel iuxta communem acceptionem Theologorum, quia lis noſtra tantum erit cum DD. catholicis, & cum opinionibus, quæ in hac tempeſtate magis prevalent inter eos. Ideoque:

101 Supponimus tertio, ut certum de fide contra Manichaos, & alios Lutheranos, peccatum originale non eſſe ipſam ſubſtantiam animæ rationalis, ſed aliquid diſtinctum, & ei ſuperadditum. Hoc conſtat ex Trident. ſeſſ. 5. can. 5. iam relato, dicente, quod per baptiſmum auferatur totum id, quod habet rationem peccati; & tamen non auferatur per illum ſubſtantia animæ rationalis, ſed aliquid diſtinctum, & ei ſuperadditum. ¶ Adde: Anima rationalis ſecundum ſe totam eſt immortalis, produciturque à ſolo Deo per creationem: ergo nequit eſſe peccatum originale; alias Deus eſſet cauſa vnicæ peccati originalis.

102 Supponimus quarto, ut certum etiam de fide, peccatum originale non eſt formaliter concupiſcentiam, ſeu fomitem peccati. Hæc poſitio procedit contra Lutheranos, & Calvinum, lib. 3. Inſt. cap. 1. ¶ Et ut error horum hæreticorum melius intelligatur, & rejiciatur, notandum eſt cum D. Thom. in præf. quaſt. 82. art. 3. alijsque in locis, concupiſcentiam conſiſtere in prava diſpoſitione habituali non ſolum appetitus ſenſitivi, ſed etiam animæ, & omnium earum potentiarum adhuc ſpiritualium, qua poſt Adæ peccatum, & ex vi illius proni ſupus ad bona ſenſibilia contra ordinem rationis. Unde concupiſcentia non conſiſtit in ſola inclinatione appetitus, & aliarum virtutum animæ ad bonum ſenſibile; ſed addit negationem ſubordinationis ad rationem ſuperiorem, & deſultationem iuſtitie originalis, quoad effectus ſecundarios illius, de quibus, & de eius privationibus in fine erit ſermo. Hoc facile conſtat ex eo quod in Chri-

Christo, Adamo ante suum lapsum: & in beatis, in quibus erant, aut sunt omnes potentiz cum inclinatione ad bonum sensibile secundum se, non erat, aut est concupiscentia. Hinc infert Div. Thom. loco proxime relato, quod peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis iustitia.

Omnia hæc constant primò ex illo Apost. ad Roman. 7. ubi ait: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Per quam legem carnis intelligitur concupiscentia, quæ solet dici *lex carnis*, & *fomes peccati*. Ubi fatetur Apost. se habere concupiscentiam quoad materiale, hoc est quoad dispositionem pravam, & habitualement ab bonum sensibile contra ordinem rationis; & tamen in eam non erat peccatum originale, quia remissum est per baptismum: ergo peccatum originale non consistit in concupiscentia. ¶ Secundo: Nam in renatis post baptismum remanet concupiscentia ad agonem & certamen; & tamen per baptismum auferitur verè & proprie peccatum originale, & non tantum tegitur, & radditur, aut tollitur quoad imputationem, ut assererebant Lutherus, Calvinus, & alij hæretici, quorum error damnatus est à Trident. sess. 5. can. 5. ergo idem quod prius. Unde Apost. dum loco citato ad Roman. vocavit concupiscentiam peccatum his verbis, *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, id est concupiscentia: *Sancta Synodus* (sunt verba Tridentini ibi) *declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

103 Supponimus quintò aduersus Pighium, Catherinum & Salmeron, peccatum originale non consistere in peccato actuali Adami, prout parvulos denominat extrinsecè peccatores, ut est vnum & idem numero in omnibus. Ita omnes ceteri Theologi. Et colligitur ex Trident. loco cit. can. 3. ubi Concilium definit, quod peccatum Adæ propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium; sed ly *inest*, & ly *transfusum* denotant formam intrinsecam, sicut *infundit*, & *inest*, quæ adducuntur ab eodem Concilio sess. 6. cap. 7. can. 11. ad manifestandum quo pacto iustificatio nostra defactò fiat, significant formam intrinsecam: ergo iuxta Concil. Trid. peccatum originale nostrum non consistit in peccato actuali Adami, prout parvulos denominat habitualiter, & extrinsecè peccatores. Unde sententia Catherini, verb. *Ambrosius Catherinus*, iusta est in Expurgatorio tanquam in fide periculosa aboleri. ¶ Adde: Nam pena correspondens peccato originali non est vna, & extrinsecè omnibus, sed singulis inest

unicuique propria: ergo idem dicendum est de culpa, ut fervetur debita proportio inter culpam, & penam.

6. II.

Alia dua suppositiones, & prælatio præcipuarum opinionum.

104 Supponimus sextò, hominem peccatum Adami contrahere privationes omnium perfectionum, quas secum aufererat iustitia originalis. Ut docet D. Thom. opusc. 2. cap. 192. & sequentibus: & aperte colligitur ex Trid. sess. 5. can. 1. & 2. Sed quia cognitio privationum ex cognitione habituum, seu formarum, quibus opponuntur, dependet, necesse est, ut prius explicemus, quid sit iustitia originalis, & quæ perfectiones ei fuerint annexæ. ¶ Pro quo sciendum est, Deum condidisse primum hominem cum iustitia originali, quæ quantum ad suum effectum primarium non erat habitus distinctus à nostra gratia iustificante: distinguebatur tamen ab ea per additionem cuiusdam modi, ratione cuius diversimodè informabat animam, ab illaque pullulabant plures perfectiones, quæ in hoc statu non promanant. Unde iustitia originalis primò subiciebatur hominem Deo tam vt auctori naturali, quam vt auctori supernaturali: & hæc subiectio est primus effectus, seu periclitio primaria illius prout erat eiusdem rationis cum gratia nostra iustificante. Subiectum iustitiæ originalis quoad hanc subiectionem, seu effectum primarium, & cum modo diverso informandi, vnicè erat anima rationalis, vt docet Div. Thom. quest. 83. seq. art. 2. ad 2. his verbis: *Originalis iustitia pertinebat primordialiter ad essentiam anime.*

Secundò ratione modi superadditi, erat origo multarum perfectionum, quæ ex defectu prædicti modi modò non resultant. Unde ab ea veluti proprietates oriebantur non solum omnes virtutes infusæ, & dona, quæ modò dimanant à nostra gratia iustificante, & recipiuntur in potentis, videlicet intellectu, voluntate, & appetitu sensitivo, sed etiam aliæ perfectiones perfectiores corpus, & reddentes illud immortale, & plenè spiritui subiectum: & habitus, qui in appetitu sensitivo existerent, habebant etiam aliquem modum specialem superadditum eorum essentia, & intentioni, ratione cuius prædictus appetitus absque vlla rebellione subiciebatur rationi; quod nunc præfati habitus non præstant quacunquè intentione gaudentes, quia carent modo prædicto.

Hæc tamen iustitia originalis, quæ secundum omnes suas partes integrales perficiebat naturam humanam secundum omnes eius partes, rationalem scilicet, sensitivam, & corpus, fuit Adami gratis concessa iuxta omnes suas perfe-

ctiones explicatas: quia nulla erat debita ex vi suæ creationis. Unde si crearetur à Deo in pura natura, carentia illarum non esset privatio, nec malum culpæ, aut pœnæ, sed mera negatio. Fuit ergo gratis concessa Adami non solum pro se, sed etiam pro omnibus suis posteris, si ille non peccasset, & ex vi talis concessionis fuit illis debita, itaut carentia illius deinceps non esset negatio, sicut in pura natura, sed privatio habens rationem mali. Et licet fuerit tantæ perfectionis, vt explicavimus, non verò pertingebat eum gradum, vt confirmaret voluntatem Adami in bono, sicut confirmavit voluntatem B. V. Mariz, sed reliquit in eo libertatem non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem boni, & mali moralis; ac proinde habuit potentiam peccandi expeditam, vt fides, & experientia docet, itaut si peccaret, omnem illam perfectionem amitteret pro se, & pro posteris. Quæ omnia expresse docet D. Thomas opusc. supra relato cap. 186. & cap. 187.

105 Peccavit ergo Adamus, & per suum peccatum natura humana perdidit omnes perfectiones, quas iustitia originalis ei confererat, & ipsa remanet in ea nuditate quantum ad intrinsecam, quæ haberet, si in pura natura conderetur; ita tamen vt earum defectus esset culpa, vel pena, iuxta proxime dicta. Diximus quantum ad intrinsecam: quia si de extrinsecis fiat sermo, adhuc retinet elevationem ad finem supernaturalem, quæ non habet locum in pura natura; quamvis prædicta elevatio non ponat in ea aliquid intrinsecum, vique dum per gratiam iustificantem sanctur, & reparatur; aut per aliquod auxilium supernaturale transiens, vel per habitus fidei, & spei elevetur. Et propterea prædicta elevatio est denominatio extrinsecæ.

Igitur loquendo de privationibus in particulari, quas causat peccatum Adami, & contrahit natura humana, contrahit primò privationem gratiæ iustificantis secundum suam substantiam, & secundum eius modum accidentalem, quibus immediatè perficiebat substantiam animæ rationalis. Secundò privationem omnium donorum, & virtutum tam persè infusarum, quam naturalium, quæ erant in omnibus potentis tam cognoscitivis, quam appetitivis. Quia ratione non solum contraxit privationem subiectionis ad Deum, sed etiam privationem subiectionis appetitus sensitivi ad rationem. Tertio, ex parte corporis contraxit privationem immortalitatis, & impassibilitatis. Hæc adeo vera sunt, vt quamvis in Adamo post suum peccatum remanserint fides, & spes Theologica ob specialem Dei indulgentiam ipsi vt personæ particulari factam, non tamen manserunt in illo, vt perfectiones transfundendæ in posteros cum eius natura. Similiter quamvis in Adamo post suum peccatum virtutes naturales, quas habuit per accidens infusas cum iustitia originali, remanserint saltem quoad sub-

stantiam virtutum, non tamen manserunt in eo quoad modum peculiarem dominandi appetitui coniuncto cum iustitia originali: neque tales virtutes, sive cum modo prædicto, sive sine illo manserunt in illo, vt transfundendæ in posteros cum eius natura. Unde natura humana contraxit debitum carenti his etiam virtutibus in omnibus posteris Adæ, & ob id omnes eum earum privatione concipiuntur. ¶ His ergo scitis, & suppositis, quarimus in hac gravi controversia, quid sit illud, per quod peccatum originale essentialiter, & primario constituitur esse talis? In quo simul inquiritur, an per peccatum Adami, quatenus moraliter est nostrum, producat aliquis terminus positivus, sive physicus, sive purè moralis, in quo eius essentia consistat? Et dato, quod non producat prædictus terminus, an consistat in aliquo positivo, vel in aliquo privato?

106 Supponimus septimò, illud ipsum peccatum, quod in Adam mansit habitualiter transfacto actuali, ad nos transfusum esse originale, & habituale. Ita communter Theologi. Et non obscure conitat ex Trid. loco pluries repetito can. 3. ubi dicit: *Siquis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest &c.* ergo supponit Concilium, idem quoad speciem esse peccatum nostrum originale, & peccatum habituale Adami. Patet consequentia: aliis non posset verificari, quod peccatum Adæ fuit ad nos transfusum. ¶ Et probatur ratione: Nam eodem peccato actuali Adami nos peccavimus: ergo id ipsum quod habuit in Adamo rationem peccati habitualis, seu termini illius, in nobis habet rationem peccati originalis: cum hoc tamen discrimine, quod peccatum actuale est idem numero, fecus verò peccatum habituale, vt docet Concilium. Adde: Nam ex eodem numero peccato actuali nequeunt resultare peccata habitualia diversæ rationis, adhuc in diversis subiectis: ergo idem quod prius. Unde ex decisione huius dubij constat resolutio alterius circa essentiam peccati habitualis personalis, quin opus sit pro eo in hoc tractatu, aut alibi dubium speciale excitare.

107 In hac ergo gravissima controversia quatuor capitales, & satis probabiles versantur sententiæ. Prima docet, peccatum originale essentialiter consistere in reatu. ¶ Pro cuius notitia sciendum est primò quod reatus est duplex: alius culpæ, & alius pœnæ. Reatus culpæ nihil aliud est, quam subiectio & detentio, qua, postquam quis commisit peccatum mortale, tenetur sub eius macula, quasi captivus. Unde non est aliquid distinctum à culpa habituali, sive originali, sive personali. Et de hac non potest intelligi hæc sententia, quia nihil determinat circa essentiam peccati originalis, cuius prædicata specifica, & determinata quarimus. Reatus pœnæ, est ligamen-

men, & obligatio, five condignitas ad poenam fullinendam. Hic posterior reatus (prout distinguitur ab ipsa culpa, quæ etiam potest dici reatus poenæ radicalis, seu fundamentalis) aliquando sumitur pro ipsa condignitate, & merito proximo ad poenam: & hoc pacto est effectus secundarius, seu proprietatis culpæ, & se tenet ex parte illius: aliquando etiam sumitur pro deputazione, & ordinatione extrinseca ad poenam proveniente à divina iustitia. Igitur hæc prima sententia docet, peccatum originale consistere in hac deputazione extrinseca & passiva ad poenam, ita ut actus voluntatis divinæ ut existens in Deo, & active sumptus, qui deputat hominem ad poenam, dicatur *offensa passiva*; & ut se tenet ex parte peccatoris passivæ, est macula, & culpa originalis. Pro qua sententia refertur Scotus in 4. dist. 14. §. *Dico ergo. Quem sequuntur graviores* Scotistæ, quos & alios plures refert, & sequitur Franciscus Felix tract. de Peccatis cap. 18. diff. 1. num. 13. licet alij Scotistæ interpretentur suum subtilem Doct. de reatu sumpto pro merito & condignitate proxima ad poenam. ¶ *Secunda* sententia defendit, peccatum originale esse ipsum peccatum actuale Adæ, ut moraliter perseverans in suis posteris, & ut non retractatum, & non condonatum, ratione cuius per modum habitus moralis moraliter intrinsece perseverantis denominatur peccatoris, quotquot ab Adamo descendunt per feminealem propagationem, & fuerunt inclusi in pacto à Deo celebrato cum ipso Adamo. Ita communiter sentiunt recentiores Societatis, quos referunt, & sequuntur Oviedo 12. tract. 6. controvers. 9. num. 67. Arriaga 1. 2. disp. 51. sect. 4. neque in alio sensu loquuntur fuisse Salmeronem disp. 46. in cap. 5. ad Rom. ostendit Tyrillus González tom. 3. disp. 3. numer. 4.

109 Tertia sententia propugnat, peccatum originale constitui per habitum, seu terminum positivum relictum ex pacto actuali Adami prout moraliter fuit nostrum, quo constituimur legi difformes, conversi habitualiter ad creaturam, tanquam ad vitium finem, & realiter averfi à Deo. Ita aliqui Thomistæ, ut Gregorius Martínez 1. 2. quest. 82. art. 1. dub. 1. conc. 4. & Godoy 1. 2. disp. 36. num. 73. & alij. Cum hoc tamen discrimine, quod apud Gregorium Martínez talis habitus seu terminus est physicus; & apud Godoy est pure moralis. Ab hac opinione non multum distat sententia Greg. de Arimino, docentis, peccatum originale esse qualitatem quandam morbida ab Adamo causatam, & per libidinofam generationem ad nos traditam: quæ quidem qualitas multiplicatur ad multiplicationem sui lecti; ita ut alia sit spiritalis recepta in anima, & alia materialis residens in corpore, & eius potentias, à qua spiritalis causatur. Quem modum dicendi sequuti sunt plures ex antiquioribus Scholasticis, quos referunt

rum NN. Salmant. in hoc tract. disp. 16. num. 32. Omnes relatæ sententiæ, ut constat, constituunt peccatum originale per aliquid positivum.

110 Quarta, & ultima sententia asserit, peccatum originale constitui per aliquid privativum. Sed in assignanda privatione non parum desident fautores huius sententiæ: Nam Curiel in præsent. art. 3. dub. 4. cum alijs dicit, ex peccato Adami contrahere posterius ultra privationes relatas num. 105. aliam, quam appellat *privativam habitualis conformitatis ad legem*, quæque videtur aptior ad peccatum originale constituendum. Sed alij docent, eius essentiam consistere in privatione voluntaria iustitiæ originalis, seu gratiæ iustificantis quoad effectum primarium illius explicatum num. 104. & cum respectu ad peccatum actuale Adami, prout fuit nostrum. Ita NN. Salm. in hoc tract. disp. 16. num. 113. & communiter Thomistæ, & alij qui Scotistæ.

§. III.

Prima conclusio oppugnans opinionem Scoti.

111 Dicendum est primò, essentialiter in reatu poenæ, five sumatur pro deputazione, & ordinatione extrinseca ad poenam, proveniente à divina iustitia; five sumatur pro merito proximo, & condignitate ad ipsam poenam. Hæc conclusio procedit contra Scotum, seu primam opinionem relatum num. 107. eamque tenent authores relati pro reliquis opinionibus proxime enumeratis. Et quoad primam partem probatur primò ex decreto Pij V. quod incipit *Ex omnibus*, & editum fuit 1. Octob. ann. 1567. in quo damnatur propositio 56. Michaelis Baij, quæ est huiusmodi: *In peccato duo sunt: actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad poenam.* Et iam damnatur propositio 57. quæ erat ista: *Unde in Sacramento baptisimi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur, & ministerium Sacerdotis solum liberat à reatu.* Quam damnationem Gregorius XIII. confirmavit 29. Januarij 1579. per const. *Provisionis nostre.* Et Urbanus VIII. die 6. Martij 1641. per Bullam *Eminentis*: Et in fine illarum Bullarum dicitur, propositiones Baij esse respectivè *hereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immitteres.* Unde quæcumque propositio illius ex septuaginta novem damnatis meretur saltem aliquam censuram ex dictis; sed opinio Scoti videtur coincidere cum propositione Baij: ergo peccatum originale non constituitur in reatu poenæ.

112 Respondent Authores propugnantes opinionem Scoti, Baium loqui in sensu valde diverso, ac Scotum: nam ille negabat per duo

sacramenta baptisimi, & poenitentia dari gratiam habitualem, & quod in peccatore non erat privatio gratiæ, ut colligi potest ex eius proposito. 14. & 24. & 42. Et hinc asserbat, quod in peccatore solum manet reatus, & non privatio gratiæ, & quod per talia sacramenta solum reatus dimittitur, & non infunditur gratia: Et hoc ultimum cum relatione ad priora iurè damnatur in Baio. Scotus verò non negat infundi gratiam habitualem per illa sacramenta, nec esse in peccatore privationem gratiæ. Unde ex mente Bullæ potest eius opinio sustineri circa constitutionem peccati originalis per deputacionem extrinsecam, seu reatum poenæ.

Sed contra primò: Nam plures Authores non solum Thomistæ, & Societatis, sed etiam Scotistæ existimant, prædictam opinionem Scoti comprehendere sub damnatione Pontificis, ideòque illam deserunt. ¶ *Secundò*: Nam propositio 57. Baij damnata à Summis Pontificibus, & dicebat, *Reatus peccati duntaxat tollitur*, est multiplex, & exponitur sic, *Reatus peccati tollitur, & nihil aliud tollitur.* Sicut hæc propositio, *Homo est tantum rationalis*, iuxta regulas summilisticas exponitur sic, *Homo est rationalis, & non est aliquid aliud.* Et hæc propositio, *A Petro tantum auferitur pallium*, exponitur sic, *à Petro auferitur pallium, & non auferitur aliquid aliud*: ergo Pontifices damnantes prædictam propositionem Baij determinant, per baptismum, & absolutionem Sacerdotis aliquid aliud tolli; sed iuxta mentem Scoti nihil aliud tollitur nisi reatus poenæ: ergo opinio Scoti videtur comprehendere sub damnatione prædictæ propositionis. ¶ *Dices*, Scotum concedere tolli per sacramenta non solum reatum poenæ, sed etiam privationem gratiæ, quod Baius negabat, ut vidimus supra. ¶ *At contra est tertio*: Nam sicut dicitur Scotistæ, quod prædicta propositio non damnatur absolute, sed cum relatione ad propositiones illius in evasione insinuatæ; ita debent concedere, quod non damnatur nisi cum relatione ad propositionem 47. iuxta quam Baius videtur negare in peccato originali veram rationem peccati: ergo Pontifices damnantes utramque propositionem cum connexionem determinant, per sacramenta præter reatum poenæ auferri aliquid aliud quod habeat veram rationem peccati: ergo in eo, & non in reatu poenæ constitui debet essentia peccati originalis.

113 Probatum ratione: Peccatum originale est de genere mali culpæ: nam per illud homo verè, & propriè est, & dicitur maculatus, averfus à Deo, & dignus poenæ æterna: ergo nequit consistere in reatu poenæ, seu obligatione passiva ad illam. Antecedens est de fide, ut constat ex prima, & secunda suppositione. Et consequentia probatur: nam ordinatio passiva ad poenam est de genere boni proveniens ab

aliquo actu divino, five per modum denominationis, five per modum effectus: ergo peccatum originale nequit consistere in reatu poenæ, seu obligatione passiva peccatoris ad eam; alias à Deo proveniret aliquid, quod habet rationem culpæ, sicut ab eo provenit prædicta obligatio.

Confirmatur primò: Nam posset Deus de lege absoluta hominem peccantem mortaliter, five in se, five in Adamo, non destinare ad poenam; & tamen homo tunc haberet peccatum originale, seu personale: quia maneret, quantum est ex se, dignus poenæ, sicut & averfus à Deo: ergo peccatum originale non consistit, sicut nec habituale personale, in reatu poenæ, si ve obligatione passiva ad eam. Patet consequentia: quia tunc non esset reatus poenæ, de quo loquitur, five obligatio passiva, seu destinatio extrinseca ad illam.

Confirmatur secundò: Obligatio ad poenam, de qua est sermo, est à Deo sua lege taxante poenam pro culpa; sed peccatum originale secundum aliquid essentielle non potest esse à Deo formaliter, aut effectivè, sicut nec peccatum actuale potest terminare causalitatem divinam: ergo nequit consistere in ordinatione passiva ad poenam.

Rationi respondet Felix num. 21. diff. citata num. 107. quod in obligatione ad poenam est duplex formalitas: una prout activè est à Deo, & passivè in homine; & hoc modo est à Deo, quia est bona, & pertinet ad divinam iustitiam, unde hoc modo non est macula. Altera, prout est ab homine influente in illam demeritorie, & in genere moris ratione peccati actualis Adami, prout nostri, iam præteriti; & prout sic est mala, & macula, & nullo modo à Deo, sed tantum ab homine, sicut de privatione gratiæ solet dici à Thomistis, & nos infra explicabimus. Posterior illa formalitas non deficeret, etiam si Deus de lege absoluta non destineret peccatorem ad poenam. Per quæ occurritur vtrique confirmationi.

Contra est primò. Nam ex hac solutione inferitur, quod posterior illa formalitas, sit homini peccatori voluntaria, quia esset terminus actionis voluntariæ; sed hoc est falsum: ergo sub nulla formalitate deputatio ad poenam habet rationem culpæ. Minor probatur: nam si obligatio ad poenam esset peccatori voluntaria, etiam ipsa poenæ, quia respicit illam ut correlativum sui adæquatum & essentialis; sed poenæ nequit esse peccatori voluntaria: ergo nec obligatio ad poenam. ¶ *Secundò*. Nam deputatio passiva ad poenam formaliter est denominatio extrinseca, vel relatio rationis in ea fundata; vel ergo denominatio extrinseca provenit adæquate, & proximè ab actu divino; vel secundum vnam formalitatem ab actu divino, & secundum aliam à peccato actuali Adami præterito

rito? Si dicas primum: ergo est adequate bona, & sub nulla formalitate macula: nam talis est denominatio, qualis est forma, à qua provenit. Si dicas secundum: ergo sunt formaliter realiter distinctæ, quod perpetuo negat Felix: nam denominationes, sive primariæ, sive secundariæ, sive vna intrinseca alicui subiecto, sive extrinseca alteri, sunt realiter distinctæ, si formæ, à quibus proveniunt, sunt distinctæ. Aliter accidit in privatione gratiæ, cuius duplex formalitas, quam distinguunt Thomistæ, est intrinseca peccatori, etque privatio eiusdem formæ secundum alias duas formalitates virtualiter distinctas. Et propterea non est caput, vnde illæ duæ formalitates privationis gratiæ realiter distinguantur: nec repugnat, quod secundum vnam sit à peccatore effectivè, & secundum aliam à Deo.

114 Probatür alia ratione conclusio: Deus ordinat ad penam eum, qui peccator est, & quia peccator habitualiter est, ergo prius præsupponitur peccator habitualiter, quam intelligatur ordinatio ad penam.

Nec refert, si dicat Felix num. 22. quod Deus non ordinat peccatorem ad penam, quia peccator habitualiter est, sed quia peccator actualiter fuit, quia macula peccati non est peccatum, sed effectus peccati. Et ita sufficit, quod peccator actualiter præsupponatur ante ordinationem ad penam, & quod obligatio extrinseca ad penam præsupponat peccatum actuale. ¶ Non, inquam, refert, Nam obligatio ad penam est propter id, quod habet veram rationem peccati: ergo obligatio extrinseca ad penam debet præsupponere totum id, quod habet veram rationem peccati; sed non solum peccatum actuale, quod præcessit, habet veram rationem peccati, sed etiam macula ex eo relicta: ergo obligatio ad penam præsupponit non solum peccatum actuale, sed etiam maculam: proindeque essentia peccati habitualis, sive personalis, sive originalis, nequit consistere in obligatione extrinseca ad penam. Minor subsumpta, in qua est tota difficultas, suadetur primò ex Trid. sess. 5. can. 5. vbi supponit, reatum peccati originalis, quod per baptismum remittitur, habere veram, & propriam rationem peccati. Recollantur eius verba adducta in supposito 2. num. 98. ¶ *Secundò*, Peccatum originale, prout ab actuali distinctum, est dignum pena aeterna damni, vt fides docet, & colligitur ex Trid. ibi can. 2. sed quod est dignum ex se pena aeterna damni, est verè, & proprie peccatum: ergo non solum peccatum actuale Adami, sed etiam macula in nos ab eo transfusa habet veram rationem peccati. *Adde*: Nam pena damni, quæ sola correspondet peccato originali, non tam correspondet peccato actuali Adami, quam ipsi peccato originali vt habituali, vt docere videtur D. Thom. quest. 5. de Malo art. 2. ergo ha-

bet veram rationem peccati: ergo debet præcedere obligationem ad penam. ¶ Si verò dicas penam aeternam deberi peccato actuali Adami, vt pro nobis non retractato, & vt moraliter perseveranti, recidis in sententiam Recentiorum Societatis asserentium, quod peccatum habituale, & originale consistit in peccato actuali, vt moraliter, & habitualiter est nostrum.

115 Ex his secunda pars assertionis suadetur. Nam dignitas penæ est proprietas consequens culpam, & fundatur in ea, sicut dignitas præmij fundatur supra bonitatem moralem: ergo prior est malitia peccati habitualis, sive originalis, quam dignitas ad penam: ergo essentia peccati originalis nequit consistere in dignitate ad penam aeternam.

Dices, antecedens esse verum de dignitate ad penam respectu peccati actualis, non vero respectu culpæ habitualis. ¶ *Contra est*: Quia non solum peccatum actuale habet veram rationem culpæ, sed etiam peccatum originale, vt definit Trident. ergo sicut peccatum actuale habet actualem dignitatem ad penam, ita peccatum originale habet suam qualem dignitatem ad penam: ergo sicut dignitas actualis ad penam est proprietas consequens culpam actualem, ita dignitas habitualis ad penam est proprietas peccati originalis.

Confirmatur hæc ratio: Nam si dignitas penæ solum præsupponeret culpam actualem, sequeretur, quod parvuli decedentes cum solo originali punirentur non propter culpam eis intrinsecam, sed tantum propter peccatum actuale primi parentis; sed hoc non potest sustineri, quia sapit errorem Pelagianorum, teste Augustino pluribus in locis, præcipue lib. 1. Retract. cap. 9. & lib. de Bono pers. cap. 11. & 12. & frequenter in libris contra Iulianum: ergo dignitas penæ residens in parvulis non solum præsupponit culpam actualem Adami, sed etiam habitalem. *Adde*: Nam dignitas ad penam ita est effectus secundarius culpæ, quod non distinguatur realiter ab ea: ergo vel concedenda est in parvulis malitia habitualis intrinseca, à qua dimanet tanquam effectus secundarius dignitas ad penam: vel dicendum, quod dignitas ad penam, quæ parvulis correspondet, est denominatio extrinseca proveniens à peccato actuali, proindeque nihil mali culpæ residet intrinsece in parvulis. Hoc autem sustineri non valet, iuxta dicta num. 98. in supposito. 2. ergo dignitas penæ, quæ est in parvulis, supponit maculam habitalem, & non solum actualem peccati actualis Adami.



Secunda conclusio rejiciens opinionem Recentiorum Societatis.

116 **D**icendum est secundò, peccatum originale non consistere in peccato actuali Adæ, vt moraliter perseveranti in suis posteris, & vt non retractato, & non condonato. Hæc conclusio, quæ procedit contra Recentiores Societatis, seu contra secundam opinionem relatum num. 108. videtur esse Div. Thomæ in 2. dist. 42. in expositione textus, vbi ait: *Dicendum, quod macula est medium inter actum peccati, & reatum, quasi effectus actus, & fundamentum reatus.* Ubi loquitur de macula relicta ex peccato actuali personali, & inquit, quod hæc est effectus peccati actualis, ac proinde quod non consistit in ipso peccato actuali; sed eadem ratio est de macula peccati originalis: ergo iuxta D. Thom. peccatum originale non consistit in peccato Adæ actuali vt non retractato.

Et probatur ratione: Nam id dumtaxat consistit peccatum originale, quod est subiectivè in peccatore, & intrinsece denominat illum talem; sed peccatum actuale Adami non est huiusmodi: ergo peccatum originale non potest consistere in peccato actuali Adæ. Maior constat ex prima suppositione, & colligitur ex Trid. sess. 5. sæpè citata, can. 3. vbi de peccato originali ait, quod est *generatione omnibus transfusum, quod inest utriqueque proprium.* Et sess. 6. cap. 3. inquit, quod ij, qui ex semine Adæ propagati nascuntur, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahunt. Ubi etiam comparat prædictam iniustitiam ex peccato Adæ in nobis transfusam cum iustitia, & sanctitate, quam per meritum Christi in baptismo recipimus, quæ est intrinseca nobis, multiplicataque numero, distinguiturque à sanctitate Christi, vt fides docet iuxta decretum eiusdem Concilij sess. 6. can. 11. Pro quo videantur dicta num. 103. supposit. 5. Minor verò probatur: tum quia peccatum actuale Adæ erat intrinsecum voluntati ipsius Adæ: ergo non erat nobis intrinsecum. Tum etiam: nam de peccato actuali Adæ supponit Concil. sess. 5. can. 3. quod *origine, id est effectivè, vna est*: de peccato autem denominante parvulos peccatores, seu habitualiter maculatos ait, quod est *transfusum omnibus, quod inest utriqueque proprium, & quod multiplicatur numero*: ergo peccatum actuale Adæ non est subiectivè in peccatore, nec parvulos denominat intrinsece peccatores.

117 Respondebis forsàn cum Rentioribus Societatis, quod peccatum Adæ est intrinsecum parvulis, & tribuit denominationem pec-

catōris habitualiter, non physicè, sed ratione existentie moralis, quæ gaudet in illis, dum non condonato.

Contra est. Nam peccatum actuale Adæ, vt tribuens denominationem peccantis actualiter, non est parvulis intrinsecum: ergo nec prout illos denominat habitualiter peccatores. Antecedens constat ex dictis. Consequenter verò probatur: nam implicat, quod forma aliqua, quoad suam denominationem primariam sit extrinseca alicui subiecto, & quod sit eidem subiecto intrinseca quoad denominationem secundariam; sed à peccato actuali Adæ provenit tanquam denominatio primaria denominatio actualiter peccantis, & denominatio peccatoris habitualiter, si ab eo provenit, est denominatio secundaria: ergo si peccatum actuale Adæ, prout præstat denominationem actualiter peccantis, est parvulis extrinsecum, nequit esse illis intrinsecum, prout illos denominat habitualiter peccatores.

118 Dices, quod peccatum actuale Adæ, licet non fuerit parvulis intrinsecum physicè, fuit tamen illis intrinsecum moraliter.

Contra est primo. Nam hinc sequitur, peccatum originale non esse nobis aliter intrinsecum, quam peccatum actuale: nam utrumque est parvulis extrinsecum physicè, & utrumque intrinsecum moraliter. Sequitur etiam, quod peccatum originale eodem modo, & non aliter multiplicatur, quam peccatum actuale: siquidem neutrum physicè multiplicatur numero, & utrumque multiplicatur moraliter. Sequitur insuper, parvulos non alio modo esse deficiè peccatores habitualiter, ac fuerint peccatores actualiter in Adamo. Sed hæc non possunt admitti: quia sunt tum contra communem sensum Theologorum, tum contra Tridentinum asserens de peccato actuali, seu originante, quod est *unum*; & de originato, quod est intrinsecum parvulis, & consequenter quod multiplicatur numero in illis: tum denique contra D. August. in Enchirid. cap. 45. dicentem, in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum... intellige plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra dividatur singula. Ergo aliter est parvulis intrinsecum peccatum originale originatum seu habituale, quam peccatum actuale Adæ: & ita si hoc est illis intrinsecum tantum moraliter, illud debet esse intrinsecum illis etiam physicè.

Secundò: Per id constituitur parvulus peccator, & iniustus habitualiter, cuius oppositum constitueret illum iustum & sanctum, si Adamus non peccasset; sed si Adamus non peccasset, parvulus non esset iniustus & sanctus tantum moraliter per aliquem actum, quantumvis perfectum, Adæ, vt moraliter illi intrinsecum, sed per gratiam illi physicè inhzrentem: ergo nec est, nec dicitur peccator habitualiter per actum

illi tantum moraliter intrinsecum, sed per aliquid intrinsecum physice. ¶ *Roboratur.* Nam actus peccati Adæ non habet maiorem vim, quomodocumque sumatur, ad constituendos parvulos intrinsecè, & habitualiter peccatores, quam actus charitatis Adæ ad constituendos illos iustos & sanctos; sed actus charitatis Adæ, prout capit, non esset sufficiens ad constituendos illos habitualiter iustos & sanctos, si gratia non infunderetur eis: ergo nec actus peccati Adæ est sufficiens ad constituendos illos peccatores. Paret consequentia: quia non minus physica est denominatio peccatoris habitualiter, quam denominatio iusti: & actus peccati Adæ non habet maiorem vim ad perseverandum intrinsecè habitualiter, & moraliter in parvulis, quam actus charitatis.

Tertiò. Transacto physice actu peccati Adæ, non manet cum sufficienti existentia morali, ut ratione illius ipse Adamus possit denominari intrinsecè peccator habitualiter: ergo nec parvuli. Consequentia à paritate conlatur: tum quia idem dicendum est de peccato habituali Adami, ac de peccato originali originato nostro iuxta dicta supposito. 7. num. 106. Tum etiã: nam intelligibile videtur, quòd respectu personæ, quæ illum physice elicit, non habeat sufficientem existentiam moralem intrinsecam; & quòd illam habeat respectu personæ alienæ. Antecedens verò probatur: nam actus peccati Adæ, dum existeret, non erat sufficiens ad denominandum illum habitualiter peccatorem: ergo nec illo transacto manet cum existentia morali sufficiente, ut ratione illius ipse Adamus denominetur intrinsecè peccator habitualiter. Consequentia liquet: nam forma eandem denominationem, & non aliam potest tribuere subiecto, dum existit physice, & dum existit moraliter; cum hoc tamen discrimine, quòd si existens physice tantum potest denominare physice aliud peccans actualiter, & non peccatorem habitualiter, existens moraliter, tantum potest denominare moraliter illud peccans actualiter, & non peccatorem habitualiter. Nec in hoc innotiamur, quia videtur persè notum. Antecedens verò probatur: nam forma de se fluida nequit tribuere denominationem ex se permanentem, sicut nec forma permanens potest tribuere denominationem fluidam, ut detur debita proportio inter formam denominantem, & eius denominationem, seu effectum illius formalem; sed actus peccati Adæ, dum existeret, erat forma de se fluida, sicut alia quævis operatio; & denominatio peccatoris habitualis, est ex se permanens & fixa: ergo non erat sufficiens ad denominationem peccatoris habitualis.

Urgetur hoc cum denominatione iusti, & forma tribuente hanc denominationem. Hæc enim, quia significat statum subiecti, & modum

permanentem & fixum, nequit præstari ab aliqua operatione ob rationem infinnatam; sed non minus permanens est denominatio peccatoris habitualis, & non minus fluida est operatio peccaminosa: ergo sicut illa, dum existit, non potest tribuere denominationem iusti, sic illa, dum existit, non potest præstare denominationem peccatoris habitualis.

Quartò. Denominatio peccatoris habitualis non est rationalis, sed realis; neque est purè moralis fundata in prudenti existimatione, & appretiatione, sed physica, sicut opposita eius denominatio iusti habitualis est denominatio realis physica, & non rationalis, aut purè moralis: ergo forma, à qua provenit, debet esse physica, & ratione existentie physice debet illam præstare: ergo existentia moralis, quam solum habet peccatum actuale Adami, non sufficit, ut ab eo proveniat denominatio peccatoris habitualis. De qua impugnatione iterum erit sermo §. 7.

119. Neque proficit adversarij addere pro constitutivo inadæquato peccati originalis non condonationem divinam. Tum quia non condonatio divina supponit maculam habitualem in parvulis: prius enim intelligimus parvulos iniustos, maculatos, aversos à Deo &c. quam intelligamus Deum illis condonare, vel non condonare, cum parvuli cum his denominationibus comparentur ut obiectum condonationis, aut non condonationis divinæ. ¶ *Tum etiã, & urgentius.* Nam non condonatio divina, licet nomine tenus significet privationem, revera est actus voluntatis divinæ, quo Deus vult non condonare effectivè culpam habitualem, aut penam quodlibet enim exercitium voluntatis divinæ est positivum, ut nunc supponimus; sed repugnat, actum increatum Dei esse partem essentialem peccati, ut contra Scotum arguebamus §. præced. ergo repugnat, quòd non condonatio sit constitutivum inadæquatum peccati originalis.

Diximus, quo Deus vult non condonare effectivè. Nam non negamus, condonationem, aut non condonationem divinam requiri ad existentiam peccati originalis, vel ad remissionem illius; sed ipse actus divinæ voluntatis condonat peccatum habituale effectivè præcisè, producens gratiam, ratione cuius condonatur formaliter: & si non vult illam producere, non vult effectivè illud condonare, ut contingit in actu, quo vult reparare, vel non reparare visum in homine cæco.

Tum denique. Nam sequitur imprimis ex opinione adversariorum, quòd peccatum originale non sit aliquid intrinsecum physicum, aut morale in peccatore. Non physicum, ut supponunt adversarij. Nec morale: nam actus increatus Dei adequatè est in Deo, & nullum terminum moralem habentem rationem peccati

potest producere: actus etiam peccati Adami non est intrinsecus physice parvulis, neque producit terminum, in quo ipse perseveret moraliter. ¶ Sequitur denique, destructionem peccati non fieri formaliter, & defectò per gratiam: quia nihil culpæ reperit in peccatore, cui opponatur. Non actus peccati Adæ, quia non est in se physice, nec moraliter in alio termino à se producto. Nec actus Dei, quo vult non condonare, quia iste cessat formaliter per actum, quo vult condonare, & producit gratiam, illamque effectivè præcedit. ¶ Sequitur denique, Deum extrinsecè nihil in iustificatione condonare. Nam actum Dei, quo vult non condonare, non condonat, quia non habet rationem mali culpæ: nec actum peccati Adæ physice, quia sic non erat: neque moraliter, quia ipse non potest perseverare moraliter nisi in alio termino à se producto. Unde tenentur concedere cum Scoto, quòd in iustificatione solum tollitur reatus, seu obligatio, & destinatio passiva ad penam.

§. V.

Tertia conclusio refellit opinionem Gregorij Martinez, & aliorum.

120. Dicendum est tertiò, peccatum originale non constitui per habitum, seu terminum positivum physicum relictum ex peccato actuale Adami. Hæc conclusio procedit contra tertiam opinionem, & Authores Thomistas relatos num. 109. Videturque expressa D. Thomæ, cuius testimonia proferemus §. 7.

Ex probatur primò ratione ex defectu cause effectivæ illum producentis. Nam talis causa nequit esse peccatum actuale Adami: ergo non datur habitus, aut terminus physicus, in quo peccatum originale consistat. Consequentia liquet: nam non est assignabile aliquid aliud, quod possit esse causa principalis illius. Antecedens verò probatur: tum quia habitus tantum generatur in proprio supposito illius ex actum repetitione, itant vnus actus non sit sufficiens ad illum producendum, sed ad summum aliquam dispositionem ex se facile mobilem per solum non visum, ac proinde insufficientem ad constituendum peccatum ex se permanens, ut est peccatum originale: ergo per peccatum actuale Adami, quod fuit vnus tantum actus, potiori iure non potest produci physicus habitus in alieno supposito.

Tum etiã: Nam dato, quòd vnus actus ratione suæ intensivis possit habitum producere, peccatum verò actuale Adami non concurreret persè ad productionem talis habitus ratione intensivis, sed tantum ratione essentia, & prout erat peccatum capitis: nam eodem modo

peccatum originale traduceretur, estò peccatum Adæ fuisset remissum: ergo idem quod prius.

Tum denique: Nam dato etiam, quòd per actum remissum Adæ posset habitus produci in eius potentij, secus verò in alieno supposito: quia talis actus non habebat maiorem vim physicam, quam actus nostri, in quibus non residet vis physica ad producendum habitum physicum in alieno supposito: ergo.

121. Respondebis, quòd peccatum actuale Adæ duo habebat, & quòd esset conversio actualis ad bonum commutabile, tanquam ad ultimum finem, aversioque à Deo ultimo fine, & quòd esset capitale. Ex primo capite habebat maximam intensivam appretiativam, & substantialem, ratione cuius poterat producere habitum convertentem habitualiter ad bonum commutabile ut ad ultimum finem, & avertentem à Deo ultimo fine: quia de causa ex actu charitatis dimanat quidam modus positivus in omnibus potentij, ratione cuius manent habitualiter conversæ ad Deum ultimum finem, sicut ipse actus charitatis est conversio actualis ad Deum. Ex secundo capite habebat vim ad producendum habitum, seu aliquid positivum physicum in posteris: sicut in omnium sententia transfundit ob hanc rationem peccatum originale (quidquid sit hoc) in illos, tametsi ut peccatum personale non possit producere.

Sed hæc evaluo ex neutro capite potest subsistere. Nam intentio requisita in actu ad producendum habitum, seu aliquid positivum physicum habituale debet esse talis conditionis, ut se teneat ex parte subiecti, & non ex parte obiecti; sed intentio illa appretiativa, & substantialis non se tenet ex parte subiecti, sed præcisè ex parte obiecti: ergo peccatum actuale Adami ratione prædictæ intentionis non erat potens ad producendum aliquid positivum physicum habituale. Maior probatur, ex cuius probatione pendet probatio, & intelligentia minoris. Tum quia intentio requisita in actu ad producendum habitum tendit persè ad conferendam firmitatem eius termino in subiecto: ergo se tenet ex parte illius. Tum etiã: nam circa idem obiectum potest versari qualitas difficilè mobilis, & qualitas facile mobilis, seu habitus, & dispositio, ut est persè notum: ergo idem quod prius. Tum denique: nam tendentia ad ultimum finem ex terminis non est ex natura sua permanens: ut liquet in actu charitatis, qui in via non est permanens, & in actu luxurie remisso, si per ipsum homo expressè intendere eius obiectum ut ultimum finem, qui non esset tendentia permanens ad illud, nec esset potens ad producendum habitum luxurie: signum ergo est, quòd intentio requisita ad producendum habitum se tenet ex parte subiecti: & quòd intentio illa appretiativa, desumpta ex eo quòd eius ob-